Optimo et egregio viro

N. Bouillet

Academiæ Parisiensis Inspectori

Grati animi pignus

DE RATIONE

IN IMPERIO ROMANO ORDINANDO

AB HADRIANO IMPERATORE

ADHIBITA

DISSERTATIONEM SCRIPSIT
AD GRADUM DOCTORIS OBTINENDUM

J. CAILLET

JAM IN ACADEMIA PARISIENSI LICENTIATUS

PARISIIS

APUD A. DURAND, BIBLIOPOLAM

VIA DICTA DES GRÈS, 7

1857

7462.—Paris, imprimerie de Guiraudet et Jouaust,
Rue Saint-Honoré, 338.

DE RATIONE

IN IMPERIO ROMANO ORDINANDO

AB HADRIANO IMPERATORE

ADHIBITA

CAPUT I.

De præcipuis vitæ Hadriani fontibus, cum veteribus, tum recentioribus.

Constat inter omnes felicem illam Antoninorum ætatem, quæ tot et tanta beneficia in genus humanum contulit, fato quodam iniquo, maximis difficultatibus impeditam et densissimis tenebris involutam esse. Namque e rerum monumentis, quibus facilius illa ætas explicaretur atque illustraretur, temporum injuria, alia omnino periere, alia nonnisi manca vel depravata usque ad nos pervenerunt. Utinam hanc scribendi materiam aggredientibus in promptu esset Tacitus alter, vel etiam alter Suetonius! His ducibus, fideliorem insignis illius sæculi, quod optimo jure aureum nuncupatur, imaginem exprimere liceret. Quod quidem nobis non contigit : perierunt enim libri

tres quos de vita sua composuerat Hadrianus, quosque Phlegontis Tralliani nomine inscriptos ediderat; periit Marii Maximi opus, apud scriptores HISTORIÆ AUGUSTÆ sæpius laudatum, quod vitas imperatorum romanorum a Trajano usque ad Heliogabalum fusius enarratas complectebatur; nec melius cum romana Dionis Cassii historia actum est, quum, pro libro qui de Hadriano scriptus erat, exile ac jejunum Xiphilini compendium solummodo supersit.

Non ego sane inficias iverim e Spartiani libro multa atque utilissima percipi posse; sed nemo est qui ignoret, ut ceteris HISTORIÆ AUGUSTÆ scriptoribus, ita quoque huic nostro minorem fidem adhibendam, quum non ea quæ referat ipse viderit, aut satis diligenter inquisiverit, sed, ordinis temporum vel locorum incuriosus, omnia ita permixte, ita promiscue narret, ut non historiam composuisse, sed facta inter legendum obiter notata e variis scriptoribus decerpsisse merito videatur (1).

Quæ quum ita sint, præcipui sunt Hadriani rerum fontes Xiphilini et Spartiani libri. Namque nobis nonnisi paucissima suppeditant Suidæ lexicon (voc. Ἁδριανός), Eusebii et Joannis Malalæ chronica, atque compendia Eutropii, Aur. Victoris, Orosii, etc. Equidem apud varios scriptores, sive ejusdem, sive posterioris ætatis, multa atque maximi momenti indicia, ut in primis apud Pausaniam de innumeris monumentis ab Hadriano exstructis, colligi licet; at longum est si nunc hos omnes enumerare velimus. Nobis vero potius videtur, his prætermissis, pauca

(1) Die scriptores Historiæ Augustæ, von Ed. Dirksen. Leips., 1842, in-8.

facere verba de uberrimis illis non solum rerum Hadriani, sed etiam omnium imperatorum romanorum fontibus, nummis scilicet, inscriptionibus et jurisconsultorum libris. Etenim, deficientibus historicis, nonnisi tribus illis facibus tenebras horum temporum discutere possumus. Nobis autem, quod ad nummos et inscriptiones pertinet, auxilio præsertim fuere amplissima illa opera quæ Eckhel, Rasche, Boeckh, Orelli, etc., tanta cum doctrina condiderunt.

Ast inter rerum romanarum sub imperatoribus fontes primum sine dubio locum sibi vindicant jurisconsultorum libri, quamvis usque ad nostra tempora ab historicis nimis neglecti, quin etiam vix delibati fuerint. Nostro autem sæculo, nonnulli doctissimi viri atque sagacissimi, sive apud Germanos, sive apud nostrates, Romanorum jurisprudentiam atque instituta illustrare aggressi sunt et novam quasi scientiam constituerunt. Inter quos eminent Dirksen, Savigny, Troplong, Laboulaye, Ortolan, etc. Accedit quod, felici quadam fortuna, nonnullorum romanorum jurisconsultorum, ut in primis Gaii, libri in lucem emerserunt ac novis subsidiis impigerrimos illos indagatores adjuverunt. Ex quo consecutum ut multa, quæ ad tempora vel reipublicæ, vel principatus, spectant, ad liquidum perduci potuerint.

Nunc transeamus ad recentiores. Ex scriptoribus recentioribus qui de Hadriani rebus libros ediderunt, alii non satis accurate principis illius consilia explicuerunt, alii autem solummodo de ejusdem vel itineribus, vel moribus, vel studiis, disseruerunt, ita ut nobis haud ita magno auxilio esse potuerint. Hi sunt : Ferdinand Gregorovius, *Geschichte der römischen*

Kaisers Hadrian und seiner Zeit; Königsberg, 1851, in-8. — Renatus Bottereau, *Hadrianus legislator;* Pictavii, 1661, in-8. — Flemmer, ***De itineribus et reb. gestis Hadriani imp. secundum numorum et inscriptionum testimonia;*** Havniæ, 1837. — Greppo, *Mémoire sur les voyages de l'empereur Adrien d'après les médailles qui s'y rapportent;* Paris, 1842, in-8. —Feuerlein (Johann-Conrad), ***Diss. epistolica de Hadriani eruditione;*** Altorf, 1743, in-4.— Woog, ***Programma de eruditione Hadriani ac de libris ab eo scriptis;*** Lips., 1769, in-4. — Jöcher, ***De libris catacrianis Hadriani;*** Lips., 1741. — Bell, *id.;* 1777, Lips. — Puttman, *id.;* 1778, Lips., in-8. — Mouline, *id., Académie royale des sciences et belles-lettres de Berlin*, 1781.— Sainte-Croix, ***Dissertation sur le goût de l'empereur Adrien pour la philosophie, la jurisprudence, la littérature et les arts*, *Mém. de l'Acad.***, t. XLIX, p. 443-452.

CAPUT II.

De consiliis ab Hadriano in republica regenda atque ordinanda adhibitis.

Antequam ea quæ in rebus, cum civilibus, tum militaribus, immutavit Hadrianus, sigillatim explicemus, de rationibus et consiliis quibus in republica componenda atque ordinanda usus fuerit necesse est in universum nonnulla dicamus, quo sequentia

melius intelligantur, atque ea omnia quæ perfecit is princeps uno, ut ita dicam, oculorum conjectu complecti liceat.

Iis autem temporibus de quibus hic agitur, præcipua duo pericula imperio romano impendebant : barbarorum scilicet colluvies, qui jam inde ab ea ætate ejus fines undique obsessos tenebant, atque infinita gentium, quibus respublica constabat, diversitas ; unde timendum erat ne, bellis intestinis ingruentibus, prorsus illud dissolveretur. Quodquidem reputans, id potissimum studuit noster imperator, ut fines imperii romani ab hostibus tutos præstaret, atque simul provincias omnes sive legibus, sive moribus dispares, pace per totum orbem romanum propagata, quoad fieri liceret, in unum corpus redigeret. Quomodo autem grande illud propositum perficere conatus fuerit paucis verbis exponamus.

Ac primum quod ad fines imperii constituendos pertinet prudentissima Augusti præcepta secutus est. Hic enim, qui imperii fundamenta posuit, quum tot gentes barbaras imminentes videret, quæ armis paraverat tuta efficere melius esse quam, novis provinciis subactis, ea adaugere credidit, atque inter præcepta imperatoria successoribus suis commendavit propositum *coercendi intra terminos imperii*. Quapropter illud ei maxime curæ fuit ut in membris corporis illius magni nihil interruptum, nihil infirmum deprehenderetur. *Legiones, provincias, classes, cuncta inter se connexa*, memorant non sine laude *prudentes* apud Tacitum ; et præcipuum tam accurati contextus fuit fundamentum *septum mari oceano aut longinquis amnibus imperium*. Quæ prudentia in definiendis tanto imperio terminis nunquam satis lau-

dari potest. Nec immerito Augustus apud Julianum gloriatur se ambitioni modum posuisse, *Euphratemque inter et Rhenum, munimentis a natura monstratis, conclusisse imperium.* Cujus quidem consilii utilitas non fugit Hadrianum, qui, inito principatu, omnia a Trajano trans Euphratem ac Tigrim armis quæsita deseruit et cum Parthis pacem iniit. Quam necessaria et prudentiæ consentanea fuerit hujus agendi ratio perpauci ejus æqualium agnoverunt, qui, sive ignaviam, sive Trajani invidiam ei exprobantes, hanc quasi fugam Hadriano vehementer objecerunt. Quæ quidem objecta refellere in promptu est. Namque nemo ignorat rei militaris studiosissimum atque peritissimum Hadrianum se præbuisse. Nos docet Spartianus eum, secunda expeditione dacica, primæ legioni Minerviæ a Trajano præpositum fuisse, atque, propter multa præclare gesta, adamante gemma, quam iste a Nerva acceperat, ab eodem donatum fuisse (1). Postea, ut apud eumdem legitur, Hadrianus, legatus in Pannoniam inferiorem missus, Sarmatas compressit, disciplinam militarem tenuit, procuratores latius evagantes coercuit, atque ob id consul factus est (2). Quo tempore autem Trajanus obiit, Syriæ exercitui præerat (3). Denique, postquam imperium adeptus est, adversus Britannos, Sarmatas, nonnullasque alias gentes, dux idem et miles, multa feliciter atque fortiter gessit. Quanta vero castrensium negotiorum fuerit in eo scientia, quanta vigilantia, quanta som-

(1) Spart., c. III, ed. Grut. 1611, in-fol

(2) Id., ibid.

(3) Id., c. IV.

ni parcitas, quanta frigoris et solis patientia, declarant satis superque testimonia quæ infra modo afferemus. Quin etiam oportuit eximiam animi firmitatem in nostro imperatore fuisse, quippe qui vulgatissimam illam opinionem, quæ ab initio apud Romanos maxime vigebat, Terminum scilicet non unquam retrocessurum, pro nihilo ducere atque reipublicæ commoda famæ suæ anteponere non dubitaverit. Neque minus falsa, ne dicam inepta, nobis conjicere videntur ii qui putant nonnisi Trajani gloriæ invidia Hadrianum ita egisse. Namque, si illud sibi propositum habuisset, ut hujus principis famam minueret atque obscuraret, ei longe aliter agendum fuit. Quid enim aptius ad Trajanum ut bellatorem atque victorem omnibus ostendendum quam eam pacem cum hostibus inire, qua se provinciis, quas imperio romano iste addiderat, asservandis atque defendendis imparem fateri videretur? Neque igitur ignavia, neque invidia ductus provincias a Trajano armis quæsitas deseruit Hadrianus, verum quia in animo habebat ut, bellis externis finitis, imperii romani internam vim adaugeret. Nec unquam hoc magis necessarium fuit: nempe illo tempore ubique finitimæ gentes barbaræ arma movebant atque irruptionem minitabantur. Omnibus, ait Spartianus (1), deficientibus his gentibus, quas Trajanus subegerat, Mauri lacessebant, Sarmatæ bellum inferebant, Britanni teneri sub romana ditione non poterant, Ægyptus seditionibus turbabatur, Lycia denique ac Palæstina rebelles animos efferebant. Nec satis duxit Hadrianus longinquas provincias deserere atque imperii fines

(1) Spart., c. v.

omnis generis munimentis tutos efficere; instituit quoque, quod maxime laudandum est, omnes gentes barbaras quibus imperium circumdabatur in amicitiam populi Romani trahere, atque iis quasi propugnaculis uti ad ceteras gentes barbaras remotiores atque asperiores arcendas et propellendas. Inde quoque non immerito se plus adeptum otio quam armis ceteros jactabat.

Nec minus prudentem, quod ad imperium ordinandum pertinet, sese præstitit Hadrianus. Ac primum Augusti, Nervæ, Trajanique vestigiis insistens, illud semper sibi proposuit, nempe ut in senatores reverentissimum et observantissimum se præberet, et continuam inter illum ordinem atque principem concordiam institueret, id reputans maxime necessarium fore, si modo pacem illam totius generis humani, cujus studiosissimus erat, solidam atque constantem permanere vellet.

Deinde huc totis viribus intendit, huc omnia sua consilia direxit, ut omnes imperii romani partes, mutua connexione inter se devinctæ, quasi unius corporis membra haberentur, ita ut jam inde ab illo tempore Roma *patria communis* dici ac prædicari meruerit. « Fuerat quidem, ait Spanhemius (1), eadem « appellatio huic urbi, sed restricta adhuc significa- « tione, jam olim tributa, uti apud Livium a consule « Terentio Varrone, post Cannensem cladem, ad « Campanos : « Itaque communem vos hanc cladem,

(1) Ezechielis Spanhemii *Orbis romanus, seu Ad constitutionem Antonini imperatoris, de qua Ulpianus, Leg. XVII Dig., de statu hominum exercitationes duæ*, ed. Heineccii, in-4, 1728, p. 160.

« quæ accepta est, credere, Campani, oportet, *com-* « *munem patriam* tuendam arbitrari esse (1). » Et a Cicerone similiter, ubi de Capua ait : « Tunc con- « tra hanc Romam, *communem patriam* omnium « nostrorum, illa altera Roma quæretur (2). » A Seneca vero latiore sensu de eorum, qui e toto terrarum orbe Romam confluebant, multitudine dictum : « Deinde ab hac urbe discede, quæ velut *communis* « *patria* dici potest (3). » Et a Plinio de Italia quidem, sed habito ad Romam respectu : « Una cuncta- « rum in toto orbe gentium *patria* fieret (4). » Verum ab Antoninorum temporibus, jam non oratorie, seu quod sedes imperii eadem foret, aut ex omnibus terrarum partibus advenarum concursu frequentata, sed proprio et peculiari quodam jure, atque in legibus quidem veterum jurisconsultorum, illa *communis patriæ* appellatio eidem urbi tribui deinceps meruit.

Namque, ut infra ostendemus, herculeus ille Salvii Juliani labor, quo veteris jurisprudentiæ species prorsus immutata fuit, ad id in primis spectabat ut omnes in imperio romano populi, quantum fieri liceret, iisdem legibus regerentur, quod testantur apertissime hæc Justiniani verba : « Secundum Salvii Juliani scripturam, quæ indicat debere omnes civitates *consuetudinem Romæ* sequi et leges, quod caput est orbis terrarum, non ipsam alias civitates. »

Notandum est quoque in primis ab illis temporibus, quod maximi momenti est, imperatorum constitu-

(1) Lib. XXIII, 5.
(2) Orat. II, de leg. agrar., c. XXXII.
(3) Cons. ad Helviam, c. 6.
(4) Hist. Nat., lib. III, c. 6.

tiones ad omnes provincias pertinuisse, id est generales haberi cœpisse, cujus quidem imperii status perspicuum indicium est hic locus rhetoris Aristidis: « Ὅπερ δὲ ἐλέγομεν, μεγάλοι μεγάλως ἐμετρήσατε τὴν πόλιν, καὶ οὐκ ἀποσεμνυνάμενοι τούτῳ θαυμαστὴν ἐποιήσατε, τῷ μηδενὶ τῶν ἄλλων αὐτῆς μεταδιδόναι, ἀλλὰ τὸ πλήρωμα αὐτῆς ἄξιον ἐζητήσατε, καὶ τὸ Ῥωμαῖον εἶναι ἐποιήσατε οὐ πόλεως, ἀλλὰ γένους ὄνομα κοινοῦ τινός, καὶ τούτου οὐχ ἑνὸς τῶν πάντων, ἀλλ' ἀντίῤῥοπου πᾶσι τοῖς λοιποῖς. Οὐ γὰρ εἰς Ἕλληνας καὶ βαρβάρους διαιρεῖτε νῦν τὰ γένη, οὐδὲ γέλοιαν τὴν διαίρεσιν ἀπεφήνατε αὐτοῖς πολυανθρωποτέραν τὴν πόλιν παρεχόμενοι ἢ κατὰ πᾶν, ὡς εἰπεῖν, τὸ Ἑλληνικὸν φῦλον, ἀλλ' εἰς Ῥωμαίους τε καὶ οὐ Ῥωμαίους ἀντιδιείλετε, ἐπὶ τοσοῦτον ἐξηγάγετε τὸ τῆς πόλεως ὄνομα (1). »

Legitur de Hadriano apud Aur. Victorem: « Officia « sane publica et palatina nec non militiæ in eam « formam statuit, quæ paucis per Constantinum im- « mutatis hodie perseverat (2). » Licet his verbis, ut infra dicemus, non omnino fides adhibenda sit, tamen haud diffitendum est nostrum imperatorem ad continuandum amplissimum illud imperii romani constituendi opus ab Augusto inchoatum, deinde ab ejus successoribus auctum, denique a Diocletiano, Constantino Justinianoque consummatum, multum contulisse. Equidem longum est omnia illa adjumenta inventaque quibus usus fuit Hadrianus ut tanta consilia perficeret hic enarrare: præcipua tantum notabimus.

Tunc primum omnes ad unius dominatum spectare et de principis persona altius cogitare cœperunt,

(1) *Arist. Op.*, ed. Dind., t. 1, p. 347. Ῥώμης ἐγκώμιον.
(2) Epit. 14, in script. lat. min. Grut., 1611, in-fol.

cujus quidem rei testimonio sunt inusitata illa de principe verba quæ jam inde ab illo tempore percrebuerunt. Tum quoque melius ordinata sunt officia palatina, inter quæ eminent *scrinia*, quibus Hadrianus equites præfecit; tum præstantissimum illud regni instrumentum, quo Hadrianus ejusque successores adeo usi sunt, principis scilicet consilium, sensim in locum senatus succedit et præcipuas in republica sibi partes vindicat. Usque ad nostri imperatoris tempora, prætorio præfecti solummodo, ut conjici licet, rem militarem curaverant; ab illa autem ætate eos negotiis civilibus sese immiscentes atque in consilio imperatorio principis vicem absentis agentes videmus. Quinetiam omnium imperialium magistratuum jura magis ac magis in dies ita amplificata sunt ut reipublicæ veteris magistratus jam nihil aliud nisi nomen atque umbra exstiterint. Simul autem honorum gradus hominumque conditionem astrictioribus quibusdam regulis definire studuit Hadrianus. Denique imperatoriæ potestatis perpetuitati, quoad potuit, prudentissime idem consuluit, quippe qui ultimis principatus diebus, non satis ducens Antoninum a se adoptatum esse, ab eodem M. Aurelium adoptari jusserit.

Quod ad provincias pertinet, nonnullas in duas vel plures partes divisit; multarum, cum senatoriarum, tum imperatoriarum, præsides severe coercuit; omnes liberaliter tractavit, innumeris monumentis adornavit, compluribus coloniis firmavit, atque multas urbes civitate romana, sive omnino, sive ex parte, donavit. Libertinis atque ipsis servis indulgentissime consuluit.

Rei militaris novam prorsus faciem instituit, ut

testatur D. Cass. l. XIX, 9 : Συνελόντι τε εἰπεῖν, οὕτω καὶ τῷ ἔργῳ καὶ τοῖς παραγγέλμασι πᾶν τὸ στρατιωτικὸν δι' ὅλης τῆς ἀρχῆς ἤσκησε καὶ κατεκόσμησεν, ὥστε καὶ νῦν τὰ τότε ὑπ' αὐτοῦ ταχθέντα νόμον σφίσι τῆς στρατείας εἶναι.

De legislatione autem quantam sibi laudem pepererit Hadrianus nemo non novit; quod quidem hic omisimus, infra tractaturi, quum de illa præstantissima nostri imperatoris principatus parte fusius disseremus.

His autem de Hadriani consiliis in universum propositis, nunc eadem sigillatim exponamus.

CAPUT III.

De principe (1).

Antoninorum ætate, quod ad rerum publicarum statum pertinet, hæc duo maxime notanda sunt : una quidem parte, vetera instituta, superioribus

(1) Amédée Thierry, *De l'administration centrale dans l'Empire romain*, *Revue de législation et de jurisprudence*, sept. 1843. — Hegewisch, *Essai sur l'époque de l'histoire romaine la plus heureuse pour le genre humain*; in-8, 1844 (e ling. germ. transl.). — *Handbuch der römischen Alterthümer*, von A. Becker, fortgesetzt von Joachim Marquardt, sec. pars, tert. sect. : *Die kaiserliche Gewalt*, p. 292. — Peter, *Die Epochen der Verfassungsgeschichte der römischen Republik*; in-8, 1841. Leipz. — Eckhel, *Doctr. num. vet.*, t. VIII, p. 343, *De nomine Imperatoris.*

imperatoribus adeo deminuta ac prope abolita, quasi e tumulo resurgunt ac novo splendore elucent; altera autem parte, imperatoria potestas, in dies aucta ac jam fere omnia complexa, tum demum quasi pars reipublicæ legitima ab omnibus ducitur, et unusquisque nihil antiquius quam ut sub bono principe vivat habere videtur. Hinc enim, iis temporibus, latius patent principis jura; paulatim, in primis ab Hadriano, senatus partes agit imperatoris consilium, atque senatusconsultorum, quorum posthac fere nulla mentio amplius exstat, locum occupant ejusdem mandata, rescripta, constitutiones. Quinetiam principem non tantum leges conficiendi jure frui, verum etiam legibus solutum esse, jurisconsulti contendunt! Illinc autem omnes istius ætatis imperatores populi, senatus veterumque magistratuum reverentissimos sese præbent, quippe quorum Trajanus, ut docet Plinius junior in panegyrica oratione, comitia, Tiberio imperante sublata, quodam modo instauraverit (1); atque Hadrianus senatum tanto in honore tenere videri voluerit, ut « ad convivium venientes senatores stans exciperet (2) ». Itaque Plinius junior, in oratione supra citata, dum Tra-

(1) C. 63 : « Comitiis tuis interfuisti, candidatus non consulatus tantum, sed immortalitatis et gloriæ... Vidit te populus romanus in illa vetere potestatis suæ sede; perpessus es longum illud carmen comitiorum. » —C. 64 : « Peracta erant solemnia comitiorum, si principem cogitares; jamque se omnis turba commoverat, quum tu, mirantibus cunctis, accedis ad consulis sellam; adigendum te præbes in verba principibus ignota, nisi quum jurare cogerent alios. » — Verisimile est autem id tantum instituisse Trajanum ut princeps in campo consul renunciaretur. Ed. Lallemand, in-12, 1749, Paris.

(2) Spart., in Vit. Had., c. 22.

janum maximis laudibus extollit, exclamare non dubitat : « Ea sentiamus, ea censeamus, quæ consu-« laribus digna sunt ; ita versemur in republica ut « credamus esse rempublicam (1) » Hadrianus apud Spartianum dicit « se ita rempublicam gesturum ut « sciret populi rem esse, non propriam » (2). Quid autem ista omnia significant? Servitutemne solam an adulationem ea redolere dicamus? Hanc quæstionem arduam ac sæpe disputatam ut dirimamus, quas scilicet partes in republica ageret princeps, necesse est rem altius repetamus atque breviter principatus, qualem illum ita callide atque prudenter instituit Augustus, naturam atque fontem ad liquidum perducamus.

Falso sæpissime dictum est Augustum ejusque successores ea ratione rerum summam adeptos esse, nempe quod omnes fere magistratus, quibus olim respublica constabat, sibi vindicaverant ac simul exercuerant. Namque adeo non deleti fuerunt omnes hi magistratus, quod quidem fieri oportuit principe hos sibi attribuente, ut contra usque permanserint, iisdemque, sine ulla intermissionne, cives functi fuerint. Præterea, si quis libros sive historicorum, sive jurisconsultorum, attentius perlegat, is sine dubio compertum habebit a nullo unquam Cæsares pro magistratibus modo habitos fuisse. Quod quidem optime significat Tacitus, quum Tiberium ita loquentem inducit. « Non ædilis, aut prætoris, aut consulis, « partes sustineo; majus aliquid et excelsius a prin-« cipe postulatur (3). » Neque enim in his magistra-

(1) C. 93.
(2) C. 8.
(3) *Ann.*, III, 53, ed. Burnouf.

tibus, quos penes, ante principatum, erat rerum publicarum cura, sita erat potentia principis, quippe qui, quamvis nullis magistratibus ornatus esset, iisdem juribus frueretur; verum in his *potestatibus*, tribunitia scilicet, proconsulari, censoria, quorum jura multo latius patebant iis officiis, quæ, quamvis iisdem nominibus distincta, re quidem omnino inferiores erant. Quumque præter illas potestates nonnulla ad principem cessissent jura quæ olim populi fuerant, ut leges conficiendi, magistratus eligendi, de pace ac bello pronuntiandi, cumque iis suprema illa jurisdictio quam, stante republica, populus sibi propriam ac peculiarem usurpaverat, haud immerito asseverari potest omnem antiquam illam populi potestatem ad principem translatam fuisse. Neque vi atque armis eam occupavit Augustus, sed, miro quodam consilio, eam sibi omnium consensu ac rite deferri voluit. Quod quidem consilium significabat illud nomen quo rempublicam is princeps constituit. Posteriori enim ætate, promiscuo sive imperatoris, sive principis nomine usi sunt Cæsares. Augustus vero, quum id in animo haberet ut omnem vis atque armorum memoriam aboleret, omnia jura quibus fruebatur Principis nomine complecti voluit, ita declarans militaribus civilia officia præstare (1). Præterea

(1) Suet., *Oct.*, 25, ed. Elzev. « Neque post bella civilia, aut in concione, aut per edictum, ullos militum commilitones appellabat, sed milites; ac ne a filiis quidem, aut privignis suis, imperio præditis, aliter appellari passus est, ambitiosius id existimans quam aut ratio militaris, aut temporum quies, aut sua domusque suæ majestas postularet. » — Tac., *Ann.*, I, 9. « Non regno tamen, neque dictatura, sed principis nomine constitutam rempublicam. » — III. 28. « Sexto demum consulatu Cæsar Augustus,

omnibus notum est senatus populique romani suffragiis, ac certis quibusdam legibus, omnia jura, quibus fruebatur princeps, Augusto singula primum, deinde cuncta simul, decimo quoque anno, delata fuisse (1). Quod quidem institutum post Augusti mortem servatum est, excepto quod, a Tiberii temporibus, comitiis sublatis, initio cujusque principatus, omnia illa jura principi ex senatusconsulto una attribuebantur. Cujus quidem generis est celebratissimum illud senatusconsultum in ænea tabula quarto decimo seculo reperta inscriptum, quo omnia jura quibus superiores potiti fuerant imperatores Vespasiano concessa fuerunt (2).

Nonne autem manifestum est illud institutum ante oculos habuisse præstantissimos illos jurisconsultos, tum doctrina, tum virtute commendabiles, qui Antoninorum ætate floruerunt ac legum scientiam tanto cum studio rimati sunt, quum principatum ex lege constitutum fuisse dicerent; neque eosdem tantum adulationi inservisse, sed veram imperatoriæ potestatis naturam expressisse, quum, principis jura certa quadam formula describere instituentes, illum in republica populi personam gerere contenderent (3)?

potentiæ securus, quæ triumviratu jusserat abolevit, deditque jura quis *pace et principe* uteremur. »

(1) Dio, ed. Tauchinitii, LIII, 13, 16; LIV, 12; LV, 6, 12; LVI, 28; LVII, 24; LVIII, 24.—Norisius, *Diss. chron. de votis decennalibus* in Norisii opp. Veronæ, 1729, t. II, p. 1177. — Pagius, *Diss. hypat.*, p. 83-151. — Eckhel, *D. N.*, t. VIII, p. 475.

(2) Lex de imp. Vesp, in Chr. Haubold, *Mon. leg.*, p. 223.

(3) Gaius, lib. I, § V, ed. Boulet. « Constitutio principis est quod imperator decreto, vel edicto, vel epistola, constituit; nec

Inde quoque effectum erat ut principi, sicut antea in comitiis populo, antiquas leges abrogare novasque constituere liceret, quod quidem jus respiciebant jurisconsulti, quum principem legibus esse solutum affirmarent. Hæc autem lex Regia nuncupabatur quia fere ad idem spectabat atque ea vetus lex qua olim reges curiatis comitiis imperium adipiscebantur (1).

Quod si quis hanc principatus indolem plane

unquam dubitatum est quin id legis vicem obtineat, cum ipse imperator *per legem imperium accipiat.* » — Alex. Severus. « Licet lex imperii solemnibus juris imperatorem solvit, nil tam proprium imperii est quam legibus vivere ». — Ulpianus, Dig., lib. I, tit. IV, § 1. « Quod principi placuit legis habet vigorem utpote cum lege regia, quæ de imperio ejus lata est, populus ei et in eum omne suum imperium et potestatem conferat ». — Trib., De concept., Dig. « Cum lege antiqua quæ regia nuncupabatur omne jus omnisque potestas populi romani in imperatoriam translata sunt potestatem. » — In republica in primis populi partes principem agere ex eo patet, nostra sententia, quod inter illas potestates, de quibus supra actum est, quibusque constabat principis potentia, primum locum occupat tribunitia potestas.— Tac., *Ann.*, III, 56. « Tiberius mittit litteras ad senatum, queis potestatem tribunitiam Druso petebat. Id summi fastigii vocabulum Augustus reperit, ne regis aut dictatoris nomen adsumeret, ac tamen appellatione aliqua cetera imperia præmineret.— I, 2. « Posito triumviri nomine, consulem se ferens, et ad tuendam plebem tribunitio jure contentum. » — I, 7. Legimus Tiberium senatum convocasse « *tribunitiæ potestatis præscriptione* ». — Velleius, II, 99 : « Tiberius tribunitiæ potestatis consortione æquatus Augusto. » — Vopiscus, Tac., I. « Sederant tribuni plebis cum tribunitia potestate, *quæ pars maxima regalis imperii.* » De genuina imperatorum potestate tribunitia, vid. Cayx, *Hist. imp. rom.*, in Aug.

(1) Veram imperatoriæ potestatis naturam optime adumbravisse nobis videtur Amédée Thierry hoc modo : « Quand un nou-

compertam habuerit, facilius intelliget quid sibi velint ii honores divini quibus Augustus ejusque successores fruiti sunt. Consentaneum enim fuit ut ille vir quo, ut ita dicam, viveret, ageret, diceret populus romanus, supra humanam conditionem elatus esset, ac, quemadmodum dea Roma erat, ita quoque in deos adscriberetur. Inde Augustus factus est; inde valuere hujus generis verba : *acta sacra*, *majestas sacra*. Quid, quod, vita nondum peracta, *Deus* habitus fuit (1). Augustus tamen noluit sibi templa decerni, nisi communi suo Romæque nomine (2).

Notandum est autem omnia ea jura tantum ad

veau pouvoir est sorti d'une révolution, s'il s'affermit, s'il dure, il entre dans les lois du pays, il se coordonne avec elles, il devient au milieu d'elles une source de nouveaux développements législatifs. Son origine contingente s'efface; le fait se transforme en droit, et une théorie scientifique, en lui imposant une formule, vient lui enseigner à lui-même ce qu'il est. Ainsi arriva-t-il au gouvernement des Césars, lorsque, au bout d'un siècle, leur pouvoir eut pénétré partout, dans les idées et dans les besoins sociaux comme dans les faits. Alors les jurisconsultes lui assignèrent une formule juridique, et terminèrent, en la légitimant, l'œuvre commencée sur les champs de bataille de Pharsale et de Philippe. Leur théorie n'est point une chose obscure qu'on ait besoin d'induire ou de deviner. Ils l'ont écrite dans leurs livres en termes nets et précis dès le temps des Antonins. On la trouve dans Gaius et dans Pomponius; on la trouve plus tard dans Ulpien; Alexandre Sévère et Justinien la reproduisent dans des textes législatifs, où elle figure comme un principe fondamental du droit public romain; et cette théorie, c'est que le peuple a transféré toute sa puissance au prince et dans la personne du prince, et que ce transfert s'est opéré régulièrement, dans la forme légale. »

(1) Tac., *Ann.*, I, 10; IV, 37; Dio, LI, 20.

(2) Suet., Aug., 52.

vitæ tempus principi delata fuisse, unde eveniebat ut, eo exstincto, senatus, qui, ex quo tempore ad eum ordinem Tiberius comitia transtulerat, populi, ut ita dicam, partes in republica sustinebat, summa potestate frueretur, ac prisca reipublicæ ratio quasi resurgere videretur. Tunc enim de actis imperatoris qui e vita decesserat statuebant senatores, ac decernebant utrum ea rescinderent atque principis memoriam abolerent, an ea comprobarent atque principem deorum numero adscriberent. Quin etiam, singulis annis, Kal. Jan., senatus, populus atque legiones in acta principis jurabant, id est ea jurejurando rata declarabant. Primum juravit senatus in acta Octaviani Kal. Jan. 29, ante Chr. nat. (Dio, LI, 20; cf. LIII, 28; de Tib., LVII, 8; de Claudio, LX, 25.) — Tac., *Ann.*, XVI, 22 : « Principio anni vitare Thraseam solemne jusjurandum. »

Denique, si quis pro certo habere velit nunquam populum romanum, quamvis in principem summa potestas translata esset, omnia jura in perpetuum abdicasse, is secum reputet usque ad Diocletiani tempora nullum principem imperium jure hereditario accepisse, verum nonnisi vel militum, vel senatus, vel denique ipsius principis delectu, qui illum per adoptionem in familiam Cæsarum adsciscebat ac tanquam potestatis socium adhibebat. Quæ quidem adoptio principem ad imperium occupandum idoneum præstabat, ea tamen conditione ut senatus consensu comprobaretur. Præterea iis temporibus, de quibus hic agitur, multo minus huic adoptionis generi indulserunt Romani, quo in imperatoriæ potestatis societatem admitteretur aliquis ex principis cognatis.

Quam quidem sententiam mirum in modum declarant hæc verba Plinii junioris in Panegyrico Trajano dicto : « Nulla adoptati cum eo qui adoptabat cog-« natio, nulla necessitudo, nisi quod uterque opti-« mus erat, dignusque alter eligi, alter eligere. Ita-« que adoptatus es, non ut prius alius atque alius, « in uxoris gratiam : adscivit enim te filium non vi-« tricus, sed princeps; eodemque animo divus Nerva « pater tuus factus est quo erat omnium. Nec decet « aliter filium assumi, si assumatur a principe. An « senatum populumque romanum, exercitus, pro-« vincias, socios, transmissurus uni, successorem e « sinu uxoris accipias? Summæque potestatis hære-« dem tantum intra domum tuam quæras? Non per « totam civitatem circumferas oculos, et hunc tibi « proximum, hunc conjunctissimum existimes, quem « optimum, quem diis simillimum inveneris? Impera-« turus omnibus eligi debet ex omnibus. Non enim « servulis tuis dominum, ut possis esse contentus « quasi necessario hærede, sed principem civibus « daturus imperator (1) ».

Arduæ autem quæstionis an hanc adoptionis rationem immutaverit Hadrianus, ac, majore consilio sibi proposito, in animo habuerit imperatoriam potestatem perpetuam efficere, et, novo successoris eligendi modo adhibito, hæreditarium quasi imperium reddere. Hæc sunt verba Spartiani in Ælii Veri vita : « Cejonius Commodus, qui et Ælius Verus appella-« tus est, quem sibi Hadrianus, ævo ingravescente, « morbis tristioribus pressus, peragrato orbe terra-

(1) Plin., *Pan. Tr.*, c. 7.

« rum, adoptavit, nihil habet in sua vita memorabile,
« nisi quod primus tantum Cæsar est appellatus : non
« testamento, ut antea solebat, neque eo modo quo
« Trajanus est adoptatus, sed eo prope genere quo,
« nostris temporibus, a vestra clementia Maximianus
« atque Constantius Cæsares dicti sunt, quasi quidam
« principum filii viri et designati augustæ majes-
« tatis heredes. » In eo, ut nobis videtur, errat Spartianus, quod contendit Ælium Verum primum tantum Cæsarem fuisse appellatum atque eo nomine successorem destinatum fuisse. Id enim nomen ita cœptum est usurpari postquam Galba Pisonem adoptaverat atque sub hoc nomine illi spem successionis attribuerat, cum antea familiæ tantum, non dignitatis, nomen fuisset, ut nos docet Tacit. (*Hist.*, I, 29), qui ita loquentem inducit Pisonem : « Sextus dies agi-
« tur, commilitones, ex quo, ignarus futuri, et sive
« optandum hoc nomen, sive timendum erat, Cæsar
« adscitus sum : quo domus nostræ aut reipublicæ
« fato, in vestra manu positum est. » Quin etiam nonnulli Pisonem Cæsarem hac vi fuisse primum negant, inter quos Pagius (*Diss. hypat.*), p. II, c. I, p. 29), sed Neronem a Claudio adoptatum, post. Chr. nat. 51 ; verum non possumus non ab illo doctissimo viro dissentire. Hic enim dictus fuit Cæsar non aliter ac Tiberius, id est dignitatis non erat, sed familiæ nomen, in quam adoptione transierat. Noster autem scriptor duabus aliis de causis Ælii Veri adoptionem ab omnibus ceteris superioribus discrepantem haud immerito contendit, nempe quod is non testamento, ut antea solebat, neque eo modo quo Trajajanus, est adoptatus. Namque Tiberius, Caligula, Nero, Titus ac Domitianus testamento heredes

constituti sunt, ut a Tacito (1), Suetonio (2) ac Dione (3) accepimus. Alios autem imperatores, sicut Claudium, Galbam, Othonem, Vitellium, Vespasianum ac Nervam, legiones vel senatus populusque romanus ad principatum erexerunt. Trajanus autem magis solemniter quam ante a Nerva adoptatus est, quod quidem manifesto testantur hæc verba Plinii : « Sedulo ergo vitavit hunc casum, nec judicium « hominum, sed deorum etiam, in consilium assumpsit. Itaque non tuo in cubiculo, sed in templo, « nec ante genialem torum, sed ante pulvinar Jovis « optimi maximi, adoptio peracta est... Credentne « posteri, patricio et consulari, et triumphali patre « genitum, quum fortissimum, amantissimum sui « exercitum regeret, imperatorem non ab exercitu « factum ? » Præterea, quoquo modo imperium adepti essent, populi senatusque consensum requirebant imperatores, quodquidem, ut alia testimonia silentio prætercam, declarant hæc verba Plinii : « Ad hoc audiebas (de Trajano loquitur) senatus « populique consensum. » Quibus autem prædictis, nunc videamus an verius dixerit Spartianus Ælii Veri adoptioni proprium aliquid ac peculiare insitum esse. Porro Ælium Verum non aliter atque Antoninum Pium adoptatum fuisse conjici licet. Apud Dionem legitur Hadrianum, postquam Lucius Commodus magna effusione sanguinis subito extinctus est, domum convocasse senatorii ordinis principes iisque Aurelium Antoninum a se adoptatum significasse. Verisimile est autem illos senatorii ordinis principes

(1) *Ann.*, I, 8; XII, 69.
(2) Tib., 23; Calig., 14; Nero, 7; Domit., 2.
(3) LVII, 2; LIX, 1; LXI, 1.

nonnisi eos qui de more in consilium imperatorium vocarentur exstitisse. Quid ex his concludendum? In eo scilicet, nostra sententia, ab Augusti Nervæque institutis descivisse Hadrianum, quod, omni solemni apparatu seposito, nec consensu, vel senatus, vel populi, publice adhibito, Ælium Verum atque Antoninum adoptaverit. Quod si præterea additur Hadrianum non sibi satis duxisse quod Antoninum adoptasset, verum etiam jussisse quoque M. Aurelium ab isto adoptari, non omnino a vero erravisse Spartianum dici licebit, qui tradit ab Hadriano peculiarius atque diligentius quam a superioribus imperatoribus successori eligendo fuisse provisum, sed non ita tamen ut penitus jura, sive populi, sive senatus, tollerentur.

Hæc fuit enim laus Antoninorum imperatorum peculiaris ut, salvis Augusti institutis, jura quibus ipsi fruebantur amplificaverint : qui nempe semper ad id tenderunt ut, facta quadam inter nova atque vetera instituta conciliatione, istius ætatis Romani priscam libertatem non omnino periisse atque principatum tanquam novam reipublicæ formam sibi fingere possent, in qua, sub bonis imperatoribus, juxta principem populi personam gerentem, ideoque omnes ceteros magistratus præeminentem, vetera munia perstarent atque aliquid splendoris retinerent.

Restant nobis nonnulla dicenda de titulis quibusdam imperatoribus ex adulatione concessis, quique vulgo ad ætatem recentiorem referuntur. Namque circa Hadriani tempora, vel in historicorum libris, vel in nummis, vel in lapidibus, apparent verba nova atque hactenus inusitata, quibus, iis temporibus, celsius atque elatius de principe Romanos sen-

tire plane significatur. Apud Grut. (446, 4) exstat inscriptio in qua vocatur Hadrianus *Sacratissimus Princeps*. Eodem titulo ornatur in duabus aliis inscriptionibus quarum alteram citat C. Spon (*Misc.*, p. 181), alteram autem Marini (*Atti*, t. I, p. 21). Equidem, ut testantur scriptores, post Augustum imperatores ab adulantibus vocati fuerunt *Domini*, ut patroni ac domini civium (1); sed quis eorum in monumentis publicis hoc nomine primum designatus fuerit inter doctos incertum est. Spanhemius nonnisi a Severi aut Caracallæ temporibus hunc titulum principi tributum fuisse contendit, cujus quidem opinionem falsam plane ostendunt hæc verba tab. XXXIX, Mar., t. 1 : « *Messala et Sabino coss.... in capitolio fratres Arvales convenerunt ad vota nuncupanda, quod Dominus noster Imp. Cæsar, M. Aur. Antoninus Pius.* » Ex quo patet hunc titulum jam Antoninorum ætate usurpatum fuisse. Idem Marini, in *Diurnis Pisanis*, p. 292, inscript. Gruteri in qua legitur *Domino nostro Augusto*, quam tamen pro genuina Foggini habuit, esse adulterinam plane demonstravit. Oderico, qui in libro de Num. orcit., p. 70, de hac quæstione doctissime disseruit, hunc titulum in monumentis non ante Domitianum usurpatum, circa autem Hadriani tempora celebratum, censet. Cum eo consentit Marini (Att., t. 2, p. 508).

Simul autem ac speciosioribus illis nominibus princeps designari cœperat, omnia instituta Augusti, quæ ad imperatorem pertinebant, in dies magis ac magis ampliores in republica partes sibi vindicabant. Tum

(1) Tacit., *Ann.*, II, 87; Phædri fab., II, V; A. Victor, de Cæsar., in Calig.; Lips., *Exerc. ad Tacit.*; Vignole, *Col. ant.*, p. 82, 83.

enim demum principis consilium, ejusdem comites atque amici, scrinia, omnia denique cetera officia, sive palatina, sive publica, certis quibusdam regulis definiuntur atque præcipuum in republica locum obtinent; de quorum origine atque progressibus modo dicere instituimus.

CAPUT IV.

De consilio principis (1).

Antequam exponamus quales in republica partes egerit, Hadriani temporibus, principis consilium, rem altius repetere atque ab Augusto præstantissimi illius instituti vices enarrare nobis operæ pretium esse videtur.

Nos docet Dio (2) Augustum solitum esse ex ceteris magistratibus singulos, ex senatoribus sorte quindecim deligere, qui per sex menses sibi essent a consiliis. Sic ait : « Τὸ δὲ δὴ πλεῖστον, τούς τε ὑπάτους, ἢ τὸν ὕπατον, ὁπότε καὶ αὐτὸς ὑπατεύοι, κἀκ τῶν ἄλλων αρχόντων ἕνα παρ' ἑκάστων, ἔκ τε τοῦ λοιποῦ τῶν βουλευτῶν πλήθους πεντεκαίδεκα τοὺς κλήρῳ λαχόντας, συμβούλους ἐς ἑξάμηνον παρελάμβανεν. »

(1) Haubold, *De consistorio principum romanorum*, in *Opusc. acad.*, ed. Wenck., Lips., 1825, t. 1, p. 207-399. — Curtius, *De sen. rom.*, p. 182-188. — Aug. Ernest, Exc. xv ad Suet., Tib., 46.

(2) LIII, 21.

Cum Dione consentit Suetonius (1) : « Instituit « (Augustus) consilia sortiri semestria, cum quibus de « negotiis ad frequentem senatum referendis ante trac- « taret. » In illo autem consilio instituendo triplicem fuisse finem rursus eod. loc. ipse indicat Dio : primum, ut per consilium suum etiam ceteris omnibus ea quæ statuerat communicaret (ὥστε δι' αὐτῶν καὶ τοῖς ἄλλοις πᾶσι κοινοῦσθαι τρόπον τινὰ τὰ νομοθετούμενα νομίζεσθαι); deinde, ut per otium cum paucis deliberaret de rebus plurimis et gravissimis, quæ in senatu tractari commode non possent (ἐσέφερε μὲν γάρ τινα καὶ ἐς πᾶσαν τὴν γερουσίαν, βέλτιον μέντοι νομίζων εἶναι μετ' ὀλίγων καθ' ἡσυχίαν τά τε πλείω καὶ τὰ μείζω προσκοπεῖσθαι); denique, ut judiciis etiam interdum, si vellet, eosdem adhiberet (καὶ ἔστιν ὅτε καὶ ἐδίκαζε μετ' αὐτῶν).

Ingravescente autem ætate, ut alio loco Dio narrat (2), quum senatui interesse ipse rarissime posset, sub initium quinti decennii, viginti petiit e senatoribus consiliarios, eosque annuos, quum semestres antea fuissent. (Καὶ συμβούλους, ὑπὸ τοῦ γήρως ὑφ' οὗπερ οὐδὲ ἐς τὸ βουλευτήριον ἔτι, πλὴν σπανιώτατα, συνεφοίτα, εἴκοσιν ἐτησίους ᾐτήσατο· πρότερον γὰρ καθ' ἕκτον μῆνα πεντεκαίδεκα προσετίθετο.)

Præterea decretum fuit ut quæcumque Augustus cum his, consulibusque et designatis consulibus, cum adoptitiis suis nepotibus, ac ceteris, quos quolibet tempore assumpsisset, deliberans statuisset, rata non minus haberentur quam si in curia statuta fuissent (καὶ προσεψηφίσθη, πάνθ' ὅσα ἂν αὐτῷ μετά τε τοῦ Τιβερίου καὶ μετ' ἐκείνων, τῶν τε ἀεὶ ὑπατευόντων, καὶ

(1) Aug., 35.
(2) LVI, 28.

τῶν ἐς τοῦτο ἀποδεδειγμένων, τῶν τε ἐγγόνων αὐτοῦ τῶν ποιητῶν δηλονότι, τῶν τε ἄλλων ὅσους ἂν ἑκάστοτε προσπαραλάβῃ, βουλευομένῳ δόξῃ, κύρια, ὡς καὶ πάσῃ τῇ γερουσίᾳ ἀρέσαντα, εἶναι.)

Ex his autem patet non solum, sub finem Augusti principatus, consilii imperatorii jura multo amplificata fuisse, ita ut senatu omnino superius exstaret, verum etiam novum consiliariorum genus sibi adscivisse principem, scilicet, præter senatores ac magistratus, qui veteris consilii participes fuerant, nepotes adoptitios atque nonnullos alios qui, quamvis non aperte significat Dio, intelligi debent, ut infra ostendetur, amici comitesque ac præstantissimi illi jurisconsulti, quos quidem in universum Dio, nostra sententia, significare voluit his verbis : τῶν τε ἄλλων ὅσους ἂν ἑκάστοτε προσπαραλάβῃ. Inde quoque facile colligi potest, extremis Augusti diebus, ut et postea, consilium imperatorium fere omnino senatus loco fuisse atque illum veterem ordinem fere ad nihil redactum fuisse (1).

Quod quidem institutum, prima Tiberii principatus parte, non mutatum fuisse videtur. Namque vir ille princeps, calliditate atque astutia adeo insignis, senatus omniumque ceterorum magistratuum reverentissimum, initio quidem regni, se præbens, omnia fere, vel minima, ad senatum referri volebat, ut legimus apud Dionem (αὐτὸς μὲν καθ' ἑαυτὸν ἤ τι ἢ οὐδὲν ἔπραττε, πάντα δὲ δὴ καὶ τα σμικρότατα ἔς τε τὴν γερουσίαν ἐσέφερε, καὶ ἐκείνῃ ἐκοίνου) (2).

(1) Orelli, 2648, 3190. « Consiliarius Augusti. » — Marini, t. II, p. 798. « Σύμβουλος τοῦ Σεβαστοῦ. »

(2) LVII, 7.

Unde necessario factum est ut ad tempus consilium imperatorium pauciora negotia tractaverit ac minoris in republica ponderis fuerit. Idem Dio ibid. nos docet, Augusti exemplum secutum, in judiciis nonnullos ex consiliariis sibi adscivisse Tiberium (ἐπεποίητο μὲν γὰρ βῆμα ἐν τῇ ἀγορᾷ, ἐφ᾽ οὗ προκαθίζων ἐχρημάτιζε, καὶ συμβούλους ἀεὶ, κατὰ τὸν Αὔγουστον, παρελάμβανεν).

Haubold, in doctissima dissertatione *De consistorio principis*, censet Tiberium, post Germanici mortem, omni mansuetudine deposita, qua prius se commendaverat, pristinam consilii formam, qualem Augustus esse voluerat, mutavisse, et primum amicos atque comites sibi consiliarios adscivisse, necnon publicorum negotiorum participes præstitisse. Quam quidem ad sententiam defendendam affert hunc Suetonii locum, in vit. Tib., c. 55 : « Super veteres amicos et fami-« liares, viginti sibi e numero principum civitatis de-« poposcerat, velut consiliarios in negotiis publicis. » Hæc autem verba, ut nobis videtur, omnino alio spectant, Tiberium scilicet primum, tum quum pleraque cum senatu communicaret ac nonnisi pauca atque minima in consilio conficeret, consiliariis tantum amicis et familiaribus usum fuisse, postea vero præter illos adhibuisse viginti e numero principum civitatis, ita ut non solum non patris institutum immutaverit, verum etiam principis consilium, quale extremis principatus diebus composuerat Augustus, denuo instauraverit. At postquam, Sejano exstincto, Capræas secessit, haud amplius consilium adhibuit Tiberius, atque illud Augusti institutum penitus sustulit.

Silentio prætermittemus Caligulæ principatum,

quem neminem prorsus rerum vel publicarum vel privatarum administrationi adhibuisse verisimile est. Neque enim aliud sibi vult vox illa tyranno dignissima, qua, Suetonio teste, usus est, quum de jurisconsultis, quasi scientiæ eorum omnem usum aboliturus, jactaret se effecturum ne quis respondere posset, præter ipsum. Claudius autem, ut imperium adeptus est, ad prisca instituta rediit atque morem, ex parte quidem, de consiliariis principis renovavit. Etenim apud Dionem legimus : « Καὶ καθ' ἑκάστην γε ὡς εἰπεῖν ἡμέραν, ἤτοι γε μετὰ πάσης τῆς γερουσίας, ἢ καὶ ἰδίᾳ, τὸ μὲν πλεῖστον ἐν τῇ ἀγορᾷ, ἤδη δὲ καὶ ἄλλοθι, ἐπὶ βήματος ἐδίκαζε. Καὶ γὰρ τὸ κατὰ τοὺς συνέδρους ἐκλειφθέν, ἐξ οὗ ὁ Τιβέριος ἐς τὴν νῆσον ἐξεχώρησεν, ἀνενεώσατο (1). » Nostra sententia, his verbis Dio significare voluit non consiliarios, quibus usus fuerat Augustus ad res publicas tractandas, verum tantum modo jurisconsultos illos quos idem princeps sibi in judiciis adsciverat. Namque facile intelligi licet non magnum fuisse usum eorum consiliariorum ex ordine senatorio atque e ceteris magistratibus selectorum, quum libertis sese omnino addiceret princeps. Sic ait Suetonius : « His « libertis (Polybius, Narcissus, Pallas) uxoribusque « addictus, non principem se, sed ministrum egit. « Compendio cujusque horum, vel etiam studio ac « libidine, honores, exercitus, impunitates, suppli- « cia largitus est, et quidem insciens plerumque et « ignarus (2). »

Neque, quod quidem diligentissime notandum est, aliter evenit sub plerisque Claudii successoribus

(1) LX, 4.
(2) In vit. Cl., 29.

usque ad Antoninorum tempora, ut testantur Suetonius et Tacitus, apud quos nulla fere senatorum magistratuumve in consilium imperatorium ab illis principibus advocatorum mentio reperitur. Num ii imperatores hunc ordinem, cujus potentiam atque jura minuere omnibus modis conabantur, poterant in consortium imperii arcanorum admittere? Ex quo etiam consecutum, eo tempore, consilium principis, quale institutum ab Augusto fuerat, minus in rerum publicarum administratione valuisse, quinetiam fortasse omnino periisse. Namque, ut neminem fugit, omnis potestas translata fuit ad nonnullos principis amicos, in primis famosissimos illos libertos, Pallantem scilicet et Narcissum, qui non tantum illud consilium, si quando vocabatur, regebant, verum etiam, ut infra ostendimus, scriniis præerant et cuncta arbitrio suo movebant. Qui quidem rerum status, ut videtur, Nerone imperante, nihil immutatus fuit. Apud Tacitum legimus Anicetum Octaviæ adulterium « apud amicos, quos *velut consilio adhibuerat* princeps, » confessum (1). Hæc verba manifesto testantur consiliarios, de quibus hic agitur, apud Neronem non partes illas, quales agere solebant ii quos Augustus apud se convocabat, egisse, sed tantum principis voluntati inserviisse.

Galbæ autem, Othonis et Vitellii magis breve et tumultuarium imperium fuit quam ut certa consilii imperatoris vestigia deprehendi possent. Rarissima quoque documenta habemus de illo instituto sub sequentibus imperatoribus, Flavianis scilicet, usque ad Trajani tempora, quo imperante, ut a Plinio

(1) *Ann.*, XIV, 62.

accepimus, amoti sunt pessimi illi consiliarii qui sub pravis imperatoribus infra se omnia tenuerant. Verisimile est autem Trajanum, qui, ut omnes alii Antonini imperatores, id sibi potissimum proposuit ut Augusti instituta renovaret atque amplificaret, ad priscum consilium rediisse; tamen de illius principis institutis adeo manca testimonia supersunt ut quale sub eo fuerit imperatorium consilium enucleare haud in promptu sit.

A Plinio quidem accepimus Trajanum sæpissime potestate judiciaria, qua ab Augusto imperatores fruebantur, usum esse, atque multas lites, sive privatas, sive publicas, in consilio diremisse, ita ut senatus nonnisi relictas a principe causas dijudicandas haberet (1). Sed, quod ad rerum publicarum administrationem pertinet, nulla nobis suppetunt documenta unde quales consilii imperatorii fuerint illo tempore partes conjicere liceat.

Si quis autem ea quæ de consilio ab Hadriano mutato apud Spartianum atque Dionem reperiuntur attentius perpenderit, ei manifestum erit hunc principem illud Augusti institutum sub sequentibus imperatoribus adeo deformatum non solum denuo instauravisse, verum etiam amplificasse.

Alii enim principes usque ad hoc tempus, nisi excipias Augustum ad finem imperii, vix alio consilio, nisi privato, quod ab ipsorum arbitrio prorsus penderet, nec frequenter quidem, usi fuerunt. Hadrianus autem primus illud quasi publicum, quodque secundum juxta senatum locum obtineret nec juri dicundo solum causisve cognoscendis, ve-

(1) Plin. j., *Epist*, lib. VI, ep. 22, 31.

rum etiam constitutionibus edendis et reipublicæ gerendæ vacaret, consilium stabilivit formamque dedit perpetuam collegio, quod nullis antea legibus definiebatur.

Quo melius ac certius pateant consilii principis sub Hadriano incrementa, afferemus prius loca quæ, sive apud Spartianum, sive apud Dionem, ad illud institutum attinent, deinde quomodo ex his ad novam ejusdem formam sit concludendum docebimus. Spartianus, c. 8 : « Optimos quosque de senatu in contubernium imperatoriæ majestatis adscivit. » Ac statim ibid. : « Equites romanos nec sine se de senatoribus, nec secum permisit. Erat enim tunc mos ut, cum princeps causas cognosceret, et senatores et equites romanos in consilium vocaret, sententiam ex omnium deliberatione proferret. » Deinde, c. 18 : « Cum judicaret, in consilio habuit non amicos suos aut comites solum, sed jurisconsultos et præcipue J. Celsum, Salv. Julianum, Neratium priscum, aliosque quos tamen senatus omnis probasset. » Denique, c. 22 : « Causas Romæ atque in provinciis frequenter audiit, adhibitis consilio suo consulibus atque prætoribus et optimis senatoribus. » Pauciora nobis documenta suppeditat Dio, quippe cujus hunc unum locum afferre possimus (1) : « Ἔπραττε δὲ καὶ διὰ τοῦ βουλευτηρίου πάντα τὰ μεγάλα καὶ ἀναγκαιότατα, καὶ ἐδίκαζε μετὰ τῶν πρώτων, τοτὲ μὲν ἐν τῷ παλατίῳ, τοτὲ δὲ ἐν τῇ ἀγορᾷ, τῷ τε Πανθείῳ, καὶ ἄλλοθι πολλαχόθι, ἀπὸ βήματος. »

Quæ quidem loca si accuratius perpendantur, colligendum nobis videtur primum consilio suo cer-

(1) LXIX, 7.

tiorem formam dedisse Hadrianum : namque imperatores qui ante illum exstiterunt in eligendis consiliariorum publicorum viris participibus non eadem ratione usi esse videntur. Alii enim hos ipsi sibi cooptaverunt, alii a senatu eosdem quasi precarios impetraverunt, alii denique rem sorti commiserunt. Noster vero princeps in deligendis assessoribus et amicis is fuit ut non solum optimos quosque de senatu, de equitibus et de jurisconsultis ad consilii societatem ipse vocaret, verum etiam hos omnes senatui probandos curaret. Quem quidem modum etiam posteriores imperatores servaverunt, ita ut consiliarii principum eligerentur ab ipsis quidem principibus, a senatu autem omnes confirmarentur

Deinde non a vero procul esse videntur qui censent fuisse jam inde ab Hadriani ætate et postea perpetuo obtinuisse duplex consilii imperatorii genus : alterum, quod cum principe publicorum negotiorum curam participaret, et summa ejus familiaritate uteretur, alterum autem, quod causis cognoscendis legibusque sanciendis tantummodo vacaret. Ex his quidem duobus consiliis prius postea, nonnisi forte Diocl. et Max. ætate, *consistorium*, posterius vero *auditorium* dictum fuit; quod quidem vocabulum nonnulli eruditi jam D. Marci Aurelii temporibus usurpatum fuisse putant. Quæ quum ita sint, consilium imperatorium jam inde ab Hadriani tempore ita divisum fuisse ille compertum habebit qui secum reputare voluerit Spartianum non solum rem judiciariam, verum etiam summam rerum civilium administrationem significare in animo habuisse, quum diceret ab illo imperatore *in contubernium majestatis* nonnullos adscitos fuisse.

Accedit quod causæ sæpenumero opponuntur negotiis, hoc sensu, ut negotia spectent ad curam reipublicæ, causæ autem ad controversias privatorum. In omnibus porro locis quæ supra attulimus, nunquam omisit Spartianus, quum consilii principis iis causis cognoscendis adhibiti mentionem faceret, subjungere : *quum princeps causas cognosceret*, *quum judicaret*, etc. Constat etiam *consistorium* fuisse angustius atque pauciores consiliarios admisisse, *auditorium* vero amplius judicium, cui adhiberentur etiam ii qui sanctiore principis consuetudine in consistorio uterentur, ita ut qui consistorii essent participes, iidem etiam auditorio, minime autem qui auditorii, iidem et consistorio interessent. Quod quidem conjicio ex verbis Spartiani, qui accurate distinguit in consilio Hadriani jurisconsultos ab amicis et comitibus a principe in contubernium imperatoriæ majestatis adscitis.

Præterea, ut idem docet Spartianus, Hadriani temporibus, principis consilium non solum Romæ, verum etiam ubicumque esset imperator, versabatur. Namque Hadrianus, ne, vel absens, aliquid ex inconsulto senatus romani exsequi videretur, quia fere perpetuo peregrinabatur, semper consiliarios e senatoribus delectos secum ducere voluit, ut domesticum quasi senatum atque ambulatorium circa se haberet.

Ex quo factum fuit ut, quia rarissime Hadrianus Romæ commoratus est, revera omni potestate senatus exutus fuerit, atque omnium fere rerum, sive ad judicia, sive ad summam imperii administrationem pertinentium, ad senatum illum quasi minorem cura fuerit translata. Ita quoque consummatum fuit illud maximum ab Augusto inchoa-

tum opus, nempe ut omne jus omnisque potestas penes imperatorem re ipsa essent. Ostendimus enim supra lege Regia Augusto concessum fuisse jus leges conficiendi, quinetiam eum principem legibus solutum fuisse, id est ei, ut et populo, cujus personam gerebat, veteres abolere leges, novas condere licuisse, rursus autem eum nonnisi interdum eo jure usum esse, ac senatus populique comitia in eodem juris consortio habuisse. Tiberius vero longius progressus fuerat, comitia populi sustulerat ac duntaxat cum senatu id jus communicaverat. Quamobrem jurisconsultorum libros perlegenti paucissimæ priorum Cæsarum constitutiones occurrunt, senatusconsulta autem plurima reperiuntur. De illa gravissima ac multum inter eruditos disputata quæstione, quum de Hadriani legislatione dicemus, fusius tractabimus; nunc autem nobis satis sit notare senatusconsulta, si minus Hadriano imperatore, certe statim post eum in dies rariora fuisse atque Severi temporibus omnino obsolevisse; imperatorum vero constitutiones, ante Nervam atque Trajanum fere nusquam citatas, subinde tantum sub illis principibus, ab Hadriano autem passim atque, ut ita dicam, singulis paginis in Pandectis occurrere. Ex quo manifestum est ea ætate rerum publicarum conditionem graviter fuisse immutatam, in dies magis ac magis senatus auctoritatem elevatam fuisse, ac, licet ejusdem ordinis observantissimos in speciem sese præberent imperatores, eosdem paulatim omnia ad se traxisse, quodquidem in primis testatur illud adagium tum maxime usurpatum: « Ἐκεῖ ἡ Ῥώμη ὅπου ποτ' ἂν ὁ βασιλεύς. » In primis autem ad illius potestatis imperatoriæ incrementum contulit consilium impe-

ratorium, quod ubique secum habebat princeps, cujusque participes erant præstantissimi illi jurisconsulti qui, ut infra ostendemus, maximam in jurisprudentia romana instauranda partem sibi vindicant.

CAPUT V.

De comitibus atque amicis principis.

Illa quæstio perdifficilis est, atque hactenus a viris eruditis neque satis distincte, neque sine erroribus, tractata atque exposita. Conemur igitur huic quæstioni quasi lucem præferre atque e veterum testimoniis quid de hac re cogitandum sit breviter explicemus.

Quod ad comites atque amicos pertinet, duæ periodi distinguendæ sunt, quarum una ad reipublicæ liberæ tempora, altera autem ad Cæsarum ætatem spectat. In utraque, ut fieri solet, iisdem nominibus diversa significata sunt.

Republica adhuc stante, triplex erat sensus tituli comitum. Primum ita dicebantur legati quos magistratui in provinciam eunti « comites et adjutores negotiorum dabat ipsa respublica (1) », qui quidem nonnunquam prætoris vicem implebant, atque ea de causa *legati pro prætore* nominabantur. Illius generis comites eligebantur sive a senatu, sive ab ipso magistratu, ea tamen lege ut ii quos hic elegisset

(1) Cic. ad Quint. fr., I, 1, 3.

senatui comprobarentur. Dein ita designabantur ii juvenes genere nobiles e quibus constabat cohors prætoria, quique ut contubernales vel comites prætoris prima stipendia faciebant. Quinetiam, extenso illius tituli sensu, eodem nomine intelligebantur omnes inferiores prætoris officiales, ut lictores, præcones, scribæ, interpretes, accensi, haruspices, apparitores, medici, cubicularii, ac ceteri omnes id genus. Omnes autem illos, e quibus hæc duplex cohors constabat, eligebat ipse magistratus. Denique comitum nomine, et quidem magis proprie dicebantur amici : « propinqui, philosophi, grammatici, qui cum ma-« gistratu in provinciam ibant, ut cum eo habitarent, « cœnarent, otiumque ejus fallerent. Qui mos est « valde antiquus : nam qui Romæ domesticos habe-« bant alebantque doctos homines, in primis philo-« sophos et grammaticos rhetoresque, hi eos secum « in provincias et expeditiones ducebant, et alios « doctos homines, amicos sibi et familiares : sic Afri-« canus secum comitem duxit Polybium et Panæ-« tium. In Cæsaris comitibus fuit Matius, nullo mu-« nere militari, sed tantum consuetudinis cum eo « habendæ causa (1). »

Quid autem de amicis sit intelligendum, illud apertissime nos docent hæc verba Ciceronis in libro ad Quintum de petitione consulatus : « Petitio ma-« gistratuum divisa est in duarum rationum diligen-« tiam : quarum altera in amicorum studiis, altera « in populari voluntate ponenda est. Amicorum stu-« dia beneficiis et officiis, et vetustate, et facilitate, « ac jucunditate naturæ, parta esse oportet. Sed hoc

(1) Aug. Ernest., excurs. XV ad Suetonium.

« nomen amicorum in petitione latius patet quam in « cetera vita. Quisquis est enim qui ostendat aliquid « in te voluntatis, qui colat, qui domum ventitet, is « in amicorum numero est habendus. » Neque aliter fieri poterat. Ultimis enim reipublicæ temporibus, quum ad potentiam armis aut malis artibus iretur, quo quis plures, vel amicos, vel clientes, vel servos, aut in foro, aut in centuriis, pro se loquentes, agentes, pugnantes habebat, eo magis in republica valebat. Quilibet autem titulus eo avidius ab hominibus expeti solet, quo majorem ei qui illo ornatus est honorem confert atque eumdem supra alios collocat. Inde factum est ut brevi turba illa amicorum in plures classes distribueretur; quod quidem primi C. Gracchus et mox Livius Drusus instituerunt, qui turbam suam segregaverunt, et alios in secretum, alios cum pluribus, alios universos receperunt (1). Inde apud scriptores primæ, secundæ, vel tertiæ admissionis mentio reperitur. Notandum est quoque ex amicis deligi qui, ut comites voluntarii, vel a magistratibus, vel a ducibus, in provincias et expeditiones adhiberentur. Inde iidem sæpissime dicebantur comites et amici, ita ut omnes amici comites fieri possent, non autem omnes comites in amicorum numero censerentur.

Hæc de comitibus atque amicis reipublicæ liberæ temporibus intelligebantur. Nunc ad Cæsarum tempora transeamus, ac primum de comitibus agamus. Quod si ad magistratus ordinarios spectetur, nihil mutatum videtur : namque sicut antea tres comi-

(1) Sen., *De benef.*, VI, 34, ed. Morelli, 1613, in-fol., Paris.

tum classes notari possunt, quarum prima ad legatos pro prætore (1), secunda ad illos quibus cohors prætoria continebatur (2), tertia denique ad illos voluntarios comites qui, nulli muneri addicti, magistratuum lateribus adhærebant (3), attinet. Quod ad privatorum amicos pertinet, Senecæ verbis, quæ supra retulimus, patet eorum conditionem, sub imperatoribus, eamdem fuisse.

Quod si autem ad principis comites atque amicos spectetur, manifestum est illorum conditionem omnino mutatam atque in primis amplificatam fuisse. Utque enim in republica supra omnes magistratus princeps eminebat, ita quoque principis comites atque amici iis qui vel apud magistratus, vel apud privatos nobiles atque locupletes eodem munere fungebantur, longe præstabant. Namque ii qui in Cæsaris contubernium admittebantur non tantum in ejusdem privatorum studiorum atque sermonum, verum etiam sæpissime in totius imperii curarum necnon arcanorum societatem veniebant. Necesse enim erat principem libentius eos in consilium vocare quibus maxime fidem adhibebat, quosque propter studiorum congruentiam vel ingenii excellentiam convictores elegerat. Inde quoque consecutum, quod in primis notandum est, ut comitis et amici nomen, olim tantummodo privatum ac tanquam

(1) Pap., Dig, 1, 22, 4; Macer, *ibid.*, 1, 18, 16, XLVIII, XI, 5; Ulp., *ibid.*, XLVIII, 19, 6, § 1; — Pitisci, *Lex*, voc. comes; Orelli, 750.

(2) Tac., *Ann.*, I, c. 47; III, c. 10; — Orelli, 723, 3139, 3186.

(3) Suet., Aug., 98; Tib., 14; — Tac., *Ann.*, VI, 21, 9.

domesticum, jam inde ab Augusti temporibus certus dignitatis titulus habitum fuerit, ita tamen ut comitis simul et amici nomine peculiariter designarentur ii qui apud imperatorem munere quodam fungerentur, solo autem amici nomine ii quibus privatim atque, ut ita dicam, animi causa uteretur princeps (1).

Equidem nobis non in animo est fusius enarrare quæ fuerint comitum atque amicorum imperatorum vices ab Augusti temporibus ad Hadrianum; tamen operæ pretium esse nobis videtur quas partes ii egerint ante nostrum imperatorem breviter exponere.

Inter eruditos ambigitur num Augustus in consilium amicos vocaverit et cum illis rerum publicarum administrationem communicaverit. Haubold putat primum Tiberium hujus moris auctorem fuisse; at, licet illius doctissimi necnon acutissimi viri opinio haud levis momenti sit, neque satis certa atque definita testimonia suppeditent scriptores, non dubitandum jam inde ab Augusti temporibus nonnullos e principis amicis consilii imperatorii participes fuisse. Num verisimile est Agrippam et Mæcenatem, qui inter Augusti amicos primum locum occupaverunt, non interfuisse sæpissime isti consilio in quo de maximis causis maximisque rebus agebatur (2). Præterea, ut supra ostendimus, Suetonii locus quo utitur Haubold nullo modo significat Tiberium in consilio instituendo aliquid novum molitum esse, sed

(1) Grut., p. 1100, 5. *C. Sentio Severo Quadrato C. V. cos. amico et comiti Aug.*—Bœckh, *Corp. inscript.*, 3499 : M. Γναιον Λικινιον Ρουφινον, τον λαμπροτατον υπατικον, φιλον του Σεβαστου.

(2) Ap. Tac., *Ann.*, IV, 40, Tiberius vocat Agrippam et Mæcenatem *patris mei amicitias*.

tantummodo Augusti vestigiis institisse atque in consilium vocasse amicos et senatores. Quod quidem institutum permansit donec iste princeps Capræas secessit : qui ab illo tempore, omnis generis voluptatibus deditus, tantum homines moribus perditos inter amicos adscivit, « convictoribus græculis maxime acquievit », nec amplius consilium, quale antea fuerat, convocavit (1).

Supra diximus a Tiberii temporibus usque ad Antoninos imperatores consilium principis, quale ab Augusto institutum fuerat, in republica administranda multo minus valuisse, imo rarissime convocatum fuisse, atque omnem potestatem ad paucos, præsertim libertos. fuisse translatam. Neque aliter fieri poterat, quamdiu imperatores, quia dubia etiam nec satis firma potestate fruerentur, illorum qui novum rerum statum evertere contendebant consiliis obniti debuerunt. Tum principis contubernio amoti sunt omnes illi præstantissimi consiliarii quos e senatoribus aliisque magistratibus, necnon optimis viris, sibi adhibere solitus erat Augustus, quorum in locum liberti illi famosissimi, Pallantes scilicet, Narcissi, Iceli, non quidem imperatoris consiliarii, potius autem scelerum, flagitiorum atque commissationum consortes successerunt. Neque tantum ii ut comites et amici principis in republica valebant, verum etiam ut scriniis aliisque domus Augustæ officiis præfecti, ut modo ostendemus.

Titus autem primus videtur novam viam ingressus esse, qui, teste Suetonio, « amicos elegit, qui« bus etiam post eum principes, ut et sibi et reipu-

(1) Tac., *Ann.*, IV, 58 ; Suet., Tib., c. 42, 56.

« blicæ necessariis, acquieverunt, præcipueque sunt « usi (1). » Quibus ex verbis conjicimus eum optimum principem ad vetera instituta rediisse, comites suos et amicos ex amplissimis viris elegisse, atque eosdem in rebus publicis consiliarios adhibuisse. Plinius, in *Pan. Traj.*, nos docet illum imperatorem Titi exemplum secutum esse, atque in contubernium majestatis imperatoriæ nonnisi virtute atque rerum publicarum usu commendabiles viros adscivisse (2). Attamen nobis desunt testimonia quibus affirmari liceat num hic imperator principis consilium, quale ab Augusto institutum fuerat, instauraverit.

Nunc autem, antequam ad Hadrianum transeamus, nobis operæ pretium esse videtur quid ex superioribus colligendum sit summatim dicere. 1° Reipublicæ temporibus, duplex comitum genus exstitit, quorum unum ad comites a republica magistratibus datos, alterum autem ad comites quos sibi voluntarios eligebant ipsi magistratus, pertinebat. 2° Illi proprie comites dicti erant qui apud magistratus aliquo munere fungebantur. 3° Ii amici dicebantur qui interioris admissionis erant, quosque nonnisi animi causa sibi iidem magistratus adhibebant. 4° Ex iis

(1) Tit. 7.

(2) Plin., *Pan. Traj.*, c. 88 : « Plerique principes, quum « essent civium domini, libertorum erant servi : horum consi- « liis, horum nutu, regebantur; per hos audiebant, per hos lo- « quebantur ; per hos præturæ etiam et sacerdotia et consula- « tus, imo et ab his petebantur. Tu libertis tuis summum qui- « dem honorem, sed tanquam libertis, habes; abundeque suf- « ficere his credis si probi et frugi existimentur. Scis enim « præcipuum esse indicium non magni principis magnos li- « bertos. »

amicis qui a Tiberii Gracchi temporibus in tres classes, pro cujusque gratia, distribuebantur, nonnulli sæpissime eligebantur a magistratibus ut comites, qua de causa tum vocabantur simul comites et amici. 5° Quod ad imperatorum tempora pertinet, nil fere mutatum fuit, si tantum ad magistratus ordinarios spectetur; at de principe non item : namque, si, vel apud scriptores, vel in inscriptionibus, mentio reperitur amicorum qui solummodo privatim atque familiariter principe utebantur, nec rerum publicarum gerendarum participes facti erant, rursus multa nobis suppetunt testimonia quibus plane demonstratur maximum discrimen inter principis atque privatorum amicos exstitisse, neque fieri potuisse ut qui in principis contubernium admitterentur, iidem non multum in republica valerent. 6° Inde consecutum est ut principis amici nomen paulatim in certum dignitatis titulum evectum fuerit, more de tribus amicorum classibus servato. 7° Nonnunquam aliquid confusum atque obscurum ortum est ex eo quod iidem apud scriptores dicuntur modo amici, modo comites, modo simul comites et amici; tamen sæpissime ii quos in consilium princeps admittebat amici et comites nuncupabantur, qui quidem, Suetonio teste (Tib. c. 46), in tres classes distributi, salarium quoddam, pro cujusque dignitate, obtinuisse videntur.

Nunc autem de Hadriano dicamus. Ac primum constat, ut antea ostendimus, quod ad consilium principis pertinet, illum principem ad instituta Augusti omnino rediisse atque optimos modo consiliarios adhibuisse. Namque, sicut Trajanus, usque cavit ne liberti sui potentia abuterentur. « Libertos

« suos, ait Spartianus, nec sciri voluit in publico, nec « aliquid apud se posse, dicto suo omnibus superio- « ribus principibus vitia imputans libertorum, dam- « natis omnibus libertis suis, quicumque se de eo « jactaverant (1). »

Apud Spartianum nonnulla leguntur quæ intelligi possunt tam de amicis quibus privatim utebatur Hadrianus quam de iis quos in rerum publicarum administrationem admittebat (2). Rursus autem hic locus ejusdem scriptoris plane testatur sub illo imperatore comites et amicos in consilium imperatorium adscitos esse : « Cum judicaret, inquit, in « consilio habuit non amicos suos aut comites so- « lum, sed jurisconsultos, et præcipue J. Celsum, « Salv. Julianum, Neratium Priscum, aliosque quos « tamen senatus omnis probasset (3). » Hæc verba Spartiani declarant, ut nobis videtur, Hadriani temporibus comitis nomen atque amici idem significasse

(1) C. 21.

(2) C. 7. « Ad honores explendos non solum amicis, sed etiam passim aliquantis multa largitus est. » — C. 9. « Romæ vero prætorum et consilium officia frequentavit, conviviis amicorum interfuit. » — C. 11. « Et erat curiosus non solum domus suæ, sed etiam amicorum : ita ut per frumentarios occulta omnia exploraret, nec adverterent amici sciri ab imperatore suam vitam priusquam ipse hoc imperator ostenderet. » — C. 15. « Amicos ditavit, et quidem non petentes, cum petentibus nihil negaret. Idem tamen facile de amicis quidquid insusurrabatur audivit. Atque ideo prope cunctos vel amicissimos, vel eos quos summis honoribus evexit, postea ut hostium loco habuit, ut Tatianum, et Nepotem, et Septicium Clarum. » — C. 17. « Saturnalitia et sigillaritia frequenter amicis inopinantibus misit, et ipse ab his libenter accepit, et alia invicem dedit. »

(3) C. 18.

unumque pro altero sæpius usurpatum fuisse. Namque particula *aut*, quæ in hoc loco Spartiani verba *amicos* et *comites* sejungit, non indicat, nostra quidem sententia, hic de duplici officio agi, quam quidem interpretationem veram esse testantur ea omnia quæ de consilio imperatorio exposita sunt. Etenim ex his manifestum est Hadriani temporibus non solum Romæ, verum etiam in provinciis, eo consilio usum esse principem, ita ut ii qui ejusdem consilii participes, ut amici, facti essent, necessario quoque comites dici possent. Quin etiam jam ab illa ætate verisimile est amici nomen, quum pro dignitatis titulo est, obsolescere cœpisse, comitis autem nomen unum valuisse. Quia autem principis comites, velut antea amici, in tres classes distributi erant, tunc in usum venit hic loquendi modus, qui postea invaluit, quo dicebantur comites, pro cujusque dignitate, modo primi ordinis, modo secundi, modo tertii. Verum illo tempore ii modo dicebantur comites qui erant revera; Constantinus autem effecit ut nomen comitis honorarius esset titulus, quem ad varias præfecturas et administrationes et artes extendit.

CAPUT VI.

De scriniis.

Nunc ad scrinia veniamus, in quibus omnia principis acta, decreta, responsa asservabantur. Offi-

cialium cohors, qui in scriniis militabant, Constantini quidem temporibus, in plures distribuebatur classes, quarum unicuique præerat magister, cui parebant vicarii nomine *principes*, vel *proximi*. Omnibus autem domus imperatoriæ officiis præficiebatur *summus officiorum magister*. Num sub primis imperatoribus scrinia jam ita constituerentur in incerto est; ea tamen jam inde ab Augusti ætate in certum quemdam ordinem redacta fuisse affirmari potest. Is enim prudentissimus princeps atque omnium rerum providus, ut singulas imperii partes melius disposuit, ita quoque palatina officia ordinare debuit. Qua de re apud Dionem exstat locus maxime notatu dignus. In celebratissima illa oratione qua Mæcenas Augusto auctor est optimorum consiliorum quibus imperium esset regendum atque stabiliendum, Dio præstantissimum illum virum de officiis palatinis ordinandis ita loquentem inducit : Καὶ μέντοι καὶ πρὸς τὰς δίκας, τάς τε ἐπιστολὰς καὶ τὰ ψηφίσματα τῶν πόλεων, τάς τε τῶν ἰδιωτῶν ἀξιώσεις, καὶ ὅσα ἄλλα τῇ τῆς ἀρχῆς διοικήσει προσήκει, συνεργούς τέ τινας καὶ ὑπηρέτας, ἐκ τῶν ἱππέων ἔχε. Ῥᾷόν τε γὰρ οὕτως ὡς ἕκαστα διαχωρήσει, καὶ σὺ οὔτ' ἀγνωμονῶν σφαλήσῃ, οὔτ' αὐτουργῶν ἐκκαμῇ (1). »

Non dubium est quin his verbis Dio significare voluerit varia domus Cæsarum scrinia, libellorum scilicet (τὰς τῶν ἰδιωτῶν ἀξιώσεις), epistolarum (τάς τε ἐπιστολὰς καὶ τὰ ψηφίσματα τῶν πόλεων), dispositionum (πρὸς τὰς δίκας).

At forte dicet aliquis nostrum scriptorem, ut fieri solet, non præterita, præsentia vero tantummodo adumbrasse, atque, nullo discrimine adhibito, sui

(1) LII, 33.

temporis, non autem Augusti ætatis, rerum conditionem expressisse; quam opinionem falsam esse plane demonstrant ea quæ Dio in eadem oratione de diversis Augusti institutis exponit. Ex quibus manifestum est, ut nobis videtur, nostrum scriptorem hoc præsertim, dum Mæcenatem talia disserentem induceret, sibi propositum habuissse ut rationum quibus in imperio ordinando usus fuerit Augustus summarium legentibus præberet.

Attamen, quod ad Mæcenatis consilium pertinet de eligendis equitibus romanis qui scriniis præessent, fatendum est Augustum non id amplexum fuisse, atque ministeria principatus libertis commisisse (1).

Non ita pauca apud Suet. et Tacit. de scriniis sub Augusti successoribus usque ad Hadrianum occurrunt testimonia. Sic ait Suet., in Claud., c. 28 : « Li-« bertorum præcipue suspexit Posidem... nec minus « Felicem... et Harpocram... ac super hos Polybium « a studiis, qui sæpe inter duos coss. ambulabat; sed « ante omnes Narcissum ab epistolis, et Pallantem « a rationibus : quos decreto quoque senatus non « præmiis modo ingentibus, sed et quæstoriis præ-« toriisque ornamentis ornari libenter passus est... « His uxoribusque addictus, non principem se, sed « ministrum egit. Compendio cujusque horum, vel « etiam studio ac libidine, honores, exercitus, im-« punitates, supplicia, largitus est. » Hic locus Sue-

(1) Vid. *Columbarium libertorum et Servorum Liviæ Augustæ*. In Poleni, *Thes.* III, p. 50 sqq. — Bianchini, *Camera ed inscrizioni sepulcrali de liberti, servi et ufficiali della casa di Augusta*. Roma, 1727, fol. Orelli, 1641, 2922, 2997 et passim.

tonii apertissime ostendit, iis temporibus, non modo rerum ad principem pertinentium, verum etiam totius imperii, curam penes scrinia fuisse, libertosque, qui iis præficiebantur, in republica summa potestate fruitos esse. Namque, ut supra diximus, post Augustum usque ad Hadrianum, plerique impp., qui non commisissent ut optimos sive ex senatoribus, sive ex magistratibus, in contubernium majestatis imperatoriæ adsciscerent, consilium imperatorium, quale instituerat Augustus, fere sustulerunt atque sese libertorum suorum, ut ait Suetonius, quasi ministros egerunt, ita ut, omni solemni apparatu seposito, quasi intra parietes domus Cæsarum administratio rerum publicarum fuerit circumscripta.

Idem Suetonius, in Ner., c. 49, Epaphroditum a libellis dicit. Tac., *Ann.*, xv, 35, ea confirmat quæ modo diximus de prævalenti iis temporibus principatus ministeriorum auctoritate. Sic ait : « Iisdem quippe « illis diebus, Torquatus Silanus mori adigitur, quia, « super Juniæ familiæ claritudinem divum Augustum « atavum ferebat. Jussi accusatores objicere « prodi- « gum largitionibus, neque aliam spem quam in novis « rebus esse; quin eum homines habere, quos *ab epis-* « *tolis* et *libellis* et *rationibus* appellet, *nomina summæ* « *curæ et meditamenta*. » Atque infra, xvi, 8, de ejusdem Silani nepote : « Ipsum dehinc Silanum incre- « puit (Nero) iisdem quibus patruum ejusdem Tor- « quatum, tanquam disponeret jam imperii curas, « præficeretque rationibus et libellis et epistolis li- « bertos... »

Idem Tacitus, *H.*, I, 58, nos docet Vitellium a superiorum principum vestigiis descivisse atque ministeria principatus « per libertos agi solita » in equites

romanos disposuisse. Qua de causa Vitellius imp. ita egerit haud in promptu est. Quæ quum ita sint, videntur sequentes imperatores usque ad Hadrianum Augusti exemplum secuti esse atque scriniis libertos denuo præfecisse, præterquam quod sub bonis imperatoribus, Vespasiano scilicet, Tito, Nerva atque Trajano, scriniorum magistri in rebus publicis gerendis multo minus valuerint.

Nunc autem ad Hadrianum veniamus. Spartianus quidem errat quum contendit Hadrianum primum scriniis equites romanos præfecisse. Namque modo vidimus, teste Tacito, jam antea Vitellium ita egisse. Illud autem maxime notandum est : non amplius a sequentibus imperatoribus ab illo instituto descitum fuisse, atque in posterum in ministeriis principatus equites romanos libertorum principis locum occupasse. Verisimile est quoque eum principem, quemadmodum omnes ceteras administrationis rerum publicarum partes, ita scrinia melius ac certius ordinasse. Quod quidem significare videtur A. Victor, apud quem legimus Hadrianum « officia publica ac « palatina, necnon militiæ, in eam formam sta- « tuisse , quæ, paucis per Constantinum immutatis, « usque ad illius tempora perseveraverit ». Sed hæc hactenus, quoniam hic tantummodo conjecturis locus est (1).

(1) Sp., Hadr., 11. « Magister epistolarum. » — Id., Æl. Ver., 4. « Magistri scriniorum. »

CAPUT VII.

De senatu.

Hoc bonis imperatoribus in primis curæ fuit, et quasi inter dominationis arcana, ut, specie quidem ac verbis, erga senatum reverentissime se gererent atque eum in consortium imperii admittere viderentur. Quam quidem viam, Augusti, Nervæ ac Trajani vestigia secutus, ingressus est ipse Hadrianus, ac, quamdiu principatum tenuit, ordinem senatorium multis honoribus auxit. Attamen fatendum est senatum Hadriani imperio haud multum favisse, quinetiam eum principem infestum et tanquam adversarium habuisse. Cujus quidem inimicitiæ hæ causæ fuisse mihi videntur. Hadrianus, ut a Spartiano ac Dione accepimus, senatu inscio, Plotinæ, ut aiunt, opera atque Syriæ exercitus favore, imperium adeptus fuit (1); quo facto, ad senatum scripsit, veniam petens « quod de imperio suo judicium senatui « non dedisset : salutatus scilicet præpropere a mili- « tibus imperator, quod esse respublica sine impe- « ratore non posset (2) ». Petiit quoque a senatu ut sibi imperium confirmaret, negavitque velle sibi ullos unquam honores decerni, ut erat solemne, nisi eos ipse a senatu peteret (3). Senatus autem, ut-

(1) Sp., c. 4 ; Dio, LXIX, 1.
(2) Spart., c. VI.
(3) Dio., LXIX, 2.

pote qui, post diuturnum silentium, jam, Nerva ac Trajano imperantibus, ad spem libertatis ac potentiæ fuisset erectus, ægerrime tulit Hadrianum soli exercitui imperium debuisse; istiusque offensionis memor, semper illum principem suspectum habuit, ita ut Hadriano vita functo divinos honores tribui noluerit. Quin etiam ejusdem acta irrita fieri proposuit, nec is appellatus fuisset divus, nisi Antoninus rogasset (1).

Quod quidem senatus in se odium ut minueret Hadrianus, biennio postquam imperium adeptus erat, quatuor consularibus, qui ipsi insidias paravissent, ad mortem deductis, illud necesse cogitavit in senatu quæ facta fuissent excusare, atque a se nunquam senatorem, nisi ex senatus sententia, punitum iri jurare. Præterea noluit quatuor illorum consularium damnatorum bona ad fiscum, ut tunc fieri solebat, deferri, sed ad ærarium, quod ad senatum pertinebat (2). Quod si autem, extremis principatus diebus, in senatores crudelius sævierit, atque nonnullos ex iis capite damnaverit, quos quidem salvos fecit Antoninus, reputandum est eo tempore illum principem morbo gravissimo implicitum et insidiis multorum imperio inhiantium, quibus favebat senatus, non semel petitum fuisse, atque ita, ut verisimile est, huic ordini terrorem incutere voluisse (3).

Quæ quum ita sint, quamdiu imperio potitus est,

(1) Sp., c. 27; Dio, LXIX, c. 23.
(2) Sp., c. 7.
(3) Sp., c. 23.

multis honoribus multisque beneficiis senatorium ordinem sibi conciliare conatus est Hadrianus. Senatui legitimo, quum in urbe vel juxta urbem esset, semper interfuit. Senatores difficillime fecit, atque dignitatem illam tanto in honore habere videri voluit ut, cum Tatianum ex prætorii præfecto creaverit senatorem, declaraverit se nihil amplius habere quod in eum conferre posset (1). Sæpe factum erat, superioribus imperatoribus, ut equites romani, qui consilii imperatorii participes essent, cum principe lites quasdam, in quibus de senatoribus ageretur, dirimerent Hadrianus autem hunc morem sustulit, atque illos nec sine se de senatoribus nec secum judicare permisit. « exsecratus principes, ait Spar« tianus, qui minus senatoribus detulissent (2). » — « Senatoribus quibusdam, addit idem, qui non vitio « suo decoxerant, patrimonium pro liberorum modo « senatoriæ professionis explevit (3). » Legem denique tulit ne a senatus sententia appellaretur ad principem (4). Quod quidem nonnulli falso interpretati majorem quam revera erat senatus jurisdictionem sibi animo finxerunt. Namque hic non cogitandum est agi de jurisdictione, quali sub prioribus Cæsaribus fruebatur senatus, de ea autem jurisdictione adeo deminuta, qualem eam reperimus postquam imperatores plerasque cognitiones ad se traxerunt; unde nobis videtur hanc Hadriani legem nonnisi ad

(1) Spart., c. 8.

(2) Id., ibid.

(3) Sp., c. 7.

(4) Dig., lib. XLIX, tit. 2 : *A quib. appell. non lic.*

causas spectasse quæ tum senatui reservabantur, aut quas ipse imperator sine appellatione ei disceptandas dabat (1).

Quum quidem aurei illi Gaii commentarii rursus in lucem nondum prodiissent, tum pauca admodum senatusconsulta ad Hadriani ætatem pertinentia jurisconsulti cognita habebant. Sed, post inventos Gaii commentarios, senatusconsultis illius temporis antea cognitis plurima alia annumeranda sunt, ita ut etiam istorum numerus sub Hadriano major quam sub quoquam ex prioribus imperatoribus alio occurrat. Num inde colligendum est non erravisse G. Hugo, virum alioqui in jurisprudentiæ romanæ historia apprime versatum, quum contendit non magis Hadriani temporibus quam antea in jurisprudentia condenda valuisse principum constitutiones? Nostra sententia, non ita se res habuit. Nempe illa senatusconsulta sive in Pandectis, sive in Gaio, sæpissime occurrunt cum his verbis adjunctis: *auctore Hadriano*, quæ quidem perspicue testantur ea nonnisi imperatore probante vel auctore lata fuisse, in eoque senatui aliquid concessisse Hadrianum, ut illius ordinis reverentissimum specie sese præberet (2).

(1) Capit., M. Ant. phil., 10. « Senatum multis cognitionibus et maxime ad se pertinentibus judicem dedit. » — Cf. Suet., Nero, 17; Tac., *Ann.*, XIV, 28. — De jurisd. sen. sub. impp., vid. Curt. *De sen. rom.*, p. 99-103; Dirksen, *Ueber die criminal Jurisdiction der römischen Senates*, in *Civil. Abh.*, t. 1, p. 152-191; Geib, *Gesch. d. röm criminal proc.*, p. 412 et sqq.; Walter, *G. d. R. R.*, t. 1, p. 339 sqq.

(2) Quod pertinet ad acta senatus, quorum mentio in nonnullis Hadriani ætatis lapidibus occurrit, hic nihil quod dici possit habemus. Hæc sunt verba J. V. Leclerc, viri omni eruditionis

CAPUT VIII.

De equitibus.

Illud quidem cordi habuit Augustus, ut equestrem ordinem post bella civilia exhaustum reficeret conturbatumque ad pristinam formam atque dignitatem revocaret. Intellexerat enim eum ordinem, divitiis atque omnium rerum publicarum usu commendabilem, posse firmissimum imperii fundamentum fieri, quo commodissime uteretur ut plebem atque senatum

flore adornati, quique hanc romanarum antiquitatum partem doctissime illustravit. « Sous Néron, l'empereur populaire, les « séances du sénat sont de nouveau racontées dans les actes « diurnaux. Nous retrouvons ensuite la même publicité sous « Domitien, qui la surveille comme Tibère; sous Trajan, les « Antonins, Alexandre Sévère, les Gordiens, Valérien, Pro- « bus, jusque dans les derniers siècles de l'empire. Mais, si les « actes du peuple, surtout ceux des chrétiens, ont encore de la « grandeur, ces procès-verbaux du sénat qui, du temps des « Scipions, des Marius même, conservaient les délibérations « où se réglait la destinée de l'ancien monde, ne servent plus « qu'à enregistrer des flatteries pour les caprices d'un seul maî- « tre, des propositions de temples pour Néron, l'apothéose de « Claude, le titre de dieu pour Domitien, ou ces protocoles « d'acclamations, communiqués depuis Trajan aux actes du « peuple, mais consignés toujours dans ceux du sénat, et que « les successeurs des Tite Live et des Tacite, les Capitolin, les « Lampride, les Pollion et les Vopiscus, y ont patiemment co- « piés pour nous les tranmettre, comme les dernières et les plus « honteuses pages de l'histoire romaine. »

coerceret et fida regni instrumenta sibi compararet.

A Gracchorum temporibus usque ad Augustum, duplex fuit equitum genus : alterum eorum qui equum publicum habebant, et in duodeviginti centuriis continebantur, quæ in comitiis prima suffragia dabant; alterum eorum qui censum equestrem habebant, in illis autem centuriis suffragia non ferebant. Priore autem in genere distinguenda sunt sex suffragia et reliquæ duodecim centuriæ. In illis enim non erant nisi senatores juvenesque patricii, hæ continebant senatores juvenesque plebeios. Utrique autem, inter bella civilia, cum senatus optimatumque partibus arctissime conjuncti fuerunt. Juvenes enim nobiles, equitum centuriis qui continebantur, Pompeium secuti sunt; hæcque erat delicata illa manus trossulorum, quorum facies ferire Cæsar milites jussit. Ceteri autem, qui censum equestrem habebant, non autem equum publicum, in republica. sive ut judices, sive ut publicani, valebant, atque gracchanas, dein marianas, denique cæsarianas partes amplexi sunt (1).

Qui quidem rerum status non ita leviter mutatus fuit, postquam, Augusto rerum potito, sub unius imperium ac dominationem respublica venit, et judiciariis contentionibus et omnibus partium certaminibus finis factus est. Tum enim, pace composita, mutataque, sive judiciorum, sive vectigalium, ratione, maxima auctoritatis, qua antea usus erat, pars pe-

(1) Zumpt, *Ueber die röm. Ritter und den Ritterstand in Rom.* Berlin, 1840. — Marquardt, *Historiæ equitum rom. libri IV.* Berol., 1840. — Peter, *Die Epochen d. Verfassungsgesch. der rom. Republik.* Leips, 1841, 247-260. — Niemeyer, *De equit. rom. commentatio historica.* Gryphiæ, 1851. — Rein, in der *Real Encycl.* d. cl. Alterth, III, 209 sqq.

riit ordini equestri, cui quidem in pejus ruenti subvenire conatus est Augustus.

Dum censor erat, omnes quibus deerat census equester dimisit (1). Senatus, auctore eo principe, censuit ne ullus eques romanus sive in ludis, sive in theatro, versaretur (2). Ipse statuit fore ut non solum iis quibus census equester suppeteret, verum etiam iis quorum parentibus idem census unquam fuisset, ludos e quatuordecim spectare liceret (3). « Equitum « turmas frequenter recognovit, post longam intercapedinem reducto more transvectionis; mox reddendi equi gratiam fecit eis qui majores annorum « quinque et triginta retinere eum nollent (hi sunt « equites equo publico). Impetratis a senatu decem « adjutoribus, unumquemque equitum rationem « vitæ reddere coegit; atque ex improbatis alios « pœna, alios ignominia notavit; plures admonitione, sed varia. Lenissimum genus admonitionis « fuit traditio coram pugillarium, quos taciti et ibidem statim legerent. Notavitque aliquos quod, « pecunias levioribus usuris mutuati, graviori fœnore collocassent (4). » (Hi sunt publicani.)

Ac primum equites qui ab avo ingenui erant, quique censum senatorium habebant, a ceteris segregavit, atque ex eis novam equitum classem instituit, quos certis quibusdam privilegiis donavit. Ii enim, qui

(1) Horat., *Ep.*, I, I, 58 :

> Sed quadringentis sex, septem millia desunt :
> Plebs eris.

(2) Dio, LIV, 2.

(3) Suet., Oct., 40.

(4) Id., ibid., 38, 39.

illustres equites romani vocabantur, latum clavum gerebant, atque, comitiis tribunitiis si deessent candidati, a principe senatores creabantur, ita ut, potestate transacta, in utro vellent ordine manerent (1).

Ceteri equites equo publico in sex turmas distributi sunt, quarum unicuique præerant *seviri*, universis autem, vulgo quidem, ut *princeps juventutis*, unus e familia Cæsaris (2). Ex his quoque instituere voluit Augustus quasi seminarium, ex quo omnes fere imperiales magistratus, quorum in dies jura adaugebantur, eligeret, ita ut ad honores ac potentiam via pateret iis solum qui in hunc ordinem admissi fuissent. Inde factum erat ut, si quis juvenis hoc ordine excluderetur, nonnisi in municipio ad honores evehi, et, quod ad munera militaria pertinet, duntaxat centurio creari posset. Ex his equitibus romanis eligebantur præfectus annonæ, præfectus vigilum, præfectus prætorii, præfectus Ægypti, multique alii magistratus ad provinciarum sive populi sive principis, administrationem adhibitos, inter quos Cæsaris procuratores (3). Inter equites romanos quos ad honores evexit Augustus eminent Mæcenas, quem præ-

(1) Dio, LIV, 30; LVI, 27; Suet., Oct., 40; Lips. ad Tac., *Ann.*, XI, 4; XVI, 17; Plin., *Ep.*, VI, 15; Ovid., *Trist.*, IV, 10, 35; Orell., 3050, 3108.

(2) Orell., 183, 732, 1172, 2242, 2258, 2379, 2761, 3044. MONUM. ANCYR. : *Equites. Autem. Romani. Universi. Principem. Juventutis. Utrumque. Eorum. Parmis. Et. Hastis. Argenteis. Donatum. Appellaverunt.*—Tac., *Ann.*, 1, 3. « Nam genitos Agrippa, Caium et Lucium, in familiam Cæsarum induxerat, necdum posita puerili prætexta, principes juventutis appellari, destinari consules, specie recusantis flagrantissime concupiverat. »

(3) Dio, LII, 25; LIII, 15; Rein, *Real Encycl.*, t. III, p. 216.

fectum urbis instituit, et Crispus Sallustius, de quo ait Tacitus : « Incolumi Mæcenate, proximus, mox « præcipuus cui secreta imperatorum inniterentur. »

Augustus autem, dum talia meditabatur, illud sibi propositum habebat ut, senatoribus quam paucissimis ad honores evectis, hunc ordinem reipublicæ liberæ restituendæ cupidum magis ac magis labefactaret (1). Quod quidem consilium pessimi imperatores, qui post Augustum imperio potiti sunt, quique senatores pariter et equites reformidabant, non plane amplexi fuerunt, atque libertos, qui ipsis magis fide digni videbantur, equitibus equo publico anteposuerunt. Præterea, iis temporibus, a pristina dignitate recessit ordo equester, in quem multi libertini admissi fuerunt, annuli aurei jure donati, si modo equestrem censum haberent, quamvis antea hæc tria non segregarentur, titulus scilicet equitis romani, jus annuli aurei atque ingenuitas (2).

Hadrianus vero, ut et antea Augustus, antiquum ordini equestri decus restituendum suscepisse videtur (3). Senatores enim et equites romanos semper in publico togatos esse jussit, nisi a cœna reverterentur (4). Præterea, ut supra dictum est, ab epis-

(1) Tac., *Ann.*, II, 59. « Augustus, inter alia dominationis arcana, vetitis, nisi permissu, ingredi senatoribus aut equitibus romanis illustribus, seposuit Ægyptum, ne fame urgeret Italiam, quisquis eam provinciam, claustraque terræ ac maris, quamvis levi presidio adversum ingentes exercitus, insedisset. »

(2) Rein, p. 218 sqq.

(3) Dio, LXIX, 5. « Ἐθεράπευε δὲ αὐτά... μήτε τινὸς χρήματα ἀδίκως ἀφελέσθαι, καὶ πολλοῖς πολλά, καὶ δήμοις, καὶ ἰδιώταις, καὶ βουλευταῖς τε καὶ ἱππεῦσι χαρίσασθαι. »

(4) Spart., 22.

tolis et a libellis, primum a Vitellio, equites romanos habuit, atque eosdem cum optimis senatoribus in consilium vocavit. Hadriani quoque temporibus, ut inscriptiones testantur, discrimen inter equites ex censu et equites equo publico adhuc servabatur. Orelli, 134 : *M. Tuccio, M. F. Ceriali exornato equo publico a sacratissimo principe Hadriano*. Marini, *Atti fr. arv.*, tab. 59 : *P. Metilii Seviri Equitum Romanorum*. (Cf. Orelli, 3155.) Notandum est autem ea ætate jus annulorum aureorum minoris momenti fuisse, neque posthac ad equites solos et ingenuos pertinuisse. Rescripto enim Hadriani effectum fuit ut libertinus, si jus annulorum impetrasset, quamvis jura ingenuitatis salvo jure patroni nactus esset, tamen ingenuus intelligeretur (1).

CAPUT IX.

De magistratibus.

Quod si tantum ad nomina atque gradus respiciatur, nil fere ab Augusto usque ad Hadrianum in magistratibus sive populi, sive principis, mutatum fuit. Quod quidem in doctissima de gradibus honorum sub imperatoribus Hadriano et Antonino Pio dis-

(1) Dig., lib. 40, tit. x, *De jure aureorum annulorum*.— De jure annulorum sive reip. temp., sive sub impp., doctissime disseruit Rein, in *Real Encycl.*, voc. *Annulus*, t. I, 493-495.

sertatione apertissime demonstravit] C. Zumpt (1). Revera autem, eo tempore, magistratus populi nonnisi umbras fuisse et vanas imagines, atque omne jus omnemque potestatem ad principis magistratus translata fuisse quisque compertum habet.

In urbe enim fere omnia curabant præfectus annonæ, præfectus vigilum, præfectus urbis atque, in primis ab Hadriano, præfectus prætorii. Pauciscissima autem eademque levissima aut a quæstore, aut a prætore, aut ab aliis populi magistratibus tractabantur. Dolendum est quidem quod pauciora nobis suppetant veterum testimonia quam ut magistratuum conditionem, qualis ea ætate fuerit, expresse definiamus, unde in universum modo uniuscujusque eorum jura adumbrare possimus.

Constat quidem Hadriani temporibus veteres magistratus a pristina dignitate longe recessisse, magistratus autem principales in dies majus in republica pondus habuisse atque ad se omnia traxisse. Quos inter eminet præfecti prætorii munus, cujus, iis temporibus, potestas multum fuit adaucta.

Duos simul fuisse prætorii præfectos, Hadriani ætate, apertissime testantur hæc verba Spartiani, c. 9 : « Cum Tatiani, præfecti sui et quondam tutoris, « potentiam ferre non posset, nisus est eum obtrun- « care Sed revocatus est, quia jam quatuor consula- « rium virorum occisorum, quorum quidem necem in « Tatiani consilia refundebat, premebatur invidia. « Cui cum successorem dare non posset, quia non « petebat, id egit ut peteret, atque, ubi primum « petiit, in Turbonem transtulit potestatem, cum

(1) In *Rhein. Museum f. Philolog.* 1843, p. 249-289.

« quidem etiam Simili, alteri præfecto, Septicium Cla« rum successorem dedit ; summotis his a præfec« tura, quibus debebat imperium, Campaniam « petiit. »

Conjici quoque licet, qua de causa, iis temporibus, in senatus locum successisset principis consilium, eadem illa factum esse ut non solum rebus militaribus fungeretur præfectus prætorii, verum etiam rebus civilibus sese immisceret. Namque, dum provincias peragrabat Hadrianus, quem magis decebat principis absentis, quod ad judicia attinebat, vicem agere, quam præfectum prætorii, qui jam in imperio a principe secundum locum sibi vindicabat (1)? Quod quidem declarare videtur hic locus Dosithei, qui Hadrianum ad quæstionem de usuris propositam ita respondisse ait : Ὁ ἐξοχώτατος ἀνήρ, ἔπαρχός μου, περὶ τούτου πράγματος ἐκτινάσει, καὶ ἐπαγγελεῖ μοι (2).......... Accedit quod Pomponius Ictus, qui Hadriani et Antonini Pii impp. ætate vixit, præfectos prætorii comparavit cum tribunis celerum, quos ipse modo supra dixit secundum a regibus locum obtinuisse (3). Attamen, quod quidem nondum ab eruditis notatum fuit, verisimile est tunc non ad omnes

(1) Tac., *Ann.*, IV, 1, 2; VI, 8. — Plut., Galba, 8. — Aur. Vict. de Cæs., IX. « Moxque victorem (Vespasianus Titum) præfectura præfectorio extulerat, unde etiam honos is, ingens a principio, tumidior, atque alter ab Augusto imperio fuit. »

(2) Sent. D. Hadr., c. 5, in Ant. Schult., *Jurispr. antejust.*, p. 164 (ed. Lips.).

(3) Dig. lib. I, tit. II, § 2, 19, *De orig. juris*. « Et his dictatoribus magistri equitum injungebantur sic, quomodo regibus tribuni celerum, quod officium fere tale erat quale hodie præfectorum prætorio. »

causas pertinuisse jurisdictionem præfecti prætorii, quam opinionem comprobare videtur hic locus Spartiani jam supra citatus : « Equites romanos nec « sine se de senatoribus, nec secum judicare permi- « sit. » Quia autem, ut neminem fugit, ante Alex. Severi imperii tempora, nonnisi ex equitibus electi fuerunt præfecti prætorii, conjiciendum est, Hadriani ætate, præfectos prætorii non potuisse causas quæ ad senatores pertinebant dijudicare.

Præfecti quoque urbis, qui ab Augusto institutus fuerat in primis ut motus urbanos compesceret, a notro imperatore amplificata esse jura videntur. In Dig., lib. I, tit. XII, *De officio præf. urbis*, legimus : « Adiri etiam ab argentariis, vel adversus eos, ex « epistola divi Hadriani, et in pecuniariis causis « potest. »

Infra, quum de consularibus ab Hadriano in Italia constitutis dicemus, nonnulla de præf. præt. ac præf. urbis jurisdictione verba faciemus.

Antequam autem huic capiti finem imponamus, nonnulla dicemus de loco Aurelii Victoris quem supra attulimus, et in quo sic ait : « Officia publica et « palatina necnon militiæ in eam formam statuit « Hadrianus, quæ, paucis per Constantinum immu- « tatis, hodie perseverat. » Si quis hæc verba omnino acciperet atque rem romanam, qualem sub Constantino reperimus, jam ab Hadriani ætate ordina-

(1) De præf. præt. vid. Arn. Drakenborch, *De officio præf. pr.* Traj. ad Rhen., 1707. In Oelrichs, *Thes. diss.*, II, p. 49-82. — J. D. Ritter, *Hist. præfecturæ prætorianæ ab origine dignitatis ad Const. M.* Vittemb., 1745, 4. — Walter, *Gesch. d. R. R.*, I, p. 351-431.

tam fuisse sibi fingeret, is procul dubio in errore versaretur. Rursus autem, nostra sententia, falsam opinionem sequuntur ii, nec pauci quidem, qui mirabilem illum imperii contextum solidamque compagem necnon solertissimam illam omnium dignitatum, omnium magistratuum, omnium denique ordinum per certos gradus distributionem, nonnisi ultimis imperii temporibus, sub imperatoribus Diocletiano et Constantino, in lucem prodiisse putant, atque herculeum illud opus ab uno aut altero imperatore perfectum esse credunt. Neque sane inficias eundum est, ut jam diximus, nobis pauciora suppetere documenta quam ut in hoc amplissimo consilio absolvendo suum cuique imperatori vere tribuatur. Cuilibet autem rem accuratius perpendenti manifestum erit Diocletianum atque Constantinum opus multo ante incœptum modo continuasse atque ad fastigium perduxisse. Namque sensim omnes immensæ illius molis, quæ *imperium romanum* vocatur, partes ita ordinatæ atque distributæ sunt, et nostri imperatoris laudi sufficit ut inter imperatores qui in illius ædificii exstructione elaboraverunt partem non mediocrem sibi vindicet.

Etenim ad Hadriani tempora referenda est origo duorum institutorum quibus potissimum ad unius regimen Romanorum animi assuefacti sunt, certioris scilicet ordinum distributionis et illius nobilitatis, quæ ultimis imperii temporibus plurima fit. Ac primum, quod ad ordinum distributionem spectat, nos docet Spartianus Hadrianum « disciplinam civilem non aliter tenuisse quam militarem ». Deinde ex constitutione quadam M. Aurelii patet jam titulos *perfectissimorum* atque *eminentissimorum* non tantum

honorificos fuisse, sed etiam certam quamdam dignitatem significasse, ut ii qui illis ornarentur certis quibusdam privilegiis fruerentur (1). Quod quidem jam Hadriani tempore exstitisse conjici licet e loco Dosithei, quem supra attulimus, et in quo noster imperator de præfecto prætorii ait in hunc modum : ὁ ἐξοχώτατος ἀνήρ, ἔπαρχός μου, κ. τ. λ. (Eminentissimus vir, præfectus meus, etc). Præterea jam dudum primores magistratuum, in primis senatores, *clarissimi* dicebantur, cujus quidem tituli mentio occurrit in tabula 23, quæ ap. Mar. *Att.*, t. I, reperitur.

Ast inter causas quibus effectum fuit ut propagaretur nobilitas, primum sane locum obtinet mos quidam magis ac magis frequentatus, de quo nobis nonnulla disserenda sunt. Republica adhuc libera, ii qui muneribus functi erant peculiariter honorabantur ; neque rara apud historicos vel oratores mentio occurrit virorum consularium, prætoriorum, etc. Ea autem ætate, tituli illi tantum ad honorem pertinebant, neque ullus ex iis fructus percipiebatur. Aliter vero evenit sub impp., postquam mos invaluit quosdam munerum titulis etiamque privilegiis ornandi, qui tamen nullis istius modi muneribus functi erant, ita ut ii qui revera magistratus erant adepti *consulatu*, *prætura*, etc., *functi* dicerentur, ceteri autem *allecti inter consulares*, *inter prætorios*, *inter tribunitios*, *inter quæstorios*, quod quidem dignitatis genus ab imperatore tribuebatur. Neque vero

(1) Cod., lib. IX, tit. 41, II. « Divo Marco placuit *eminentissimorum* quidem necnon etiam *perfectissimorum* virorum, usque ad pronepotes, liberos plebeiorum pœnis vel quæstionibus non subjici. »

isti iis æquiparandi sunt quibus interdum a senatu, vel ab imperatore, *ornamenta consularia*, *prætoria*, etc., deferebantur, quique non ideo in senatum admittebantur (1). Cujus quidem moris sub Hadriano pervulgati non ita pauca nobis suppetunt testimonia sive ex scriptoribus, sive ex lapidibus deprompta. Sic apud Spart, in Hadr., c. 7, legimus : « Dacia Turboni credita, *titulo Ægyptiacæ* « *præfecturæ*, quo plus auctoritatis haberet, ornato. » C. 8 : « Senatus fastigium in tantum extulit, difficile « faciens senatores, ut, cum Tatianum ex præfecto « prætorii *ornamentis consularibus præditum* faceret « senatorem, nihil se amplius habere quod in eum « conferri posset ostenderit. » Orell., 3135 : « *ad-* « *lecto inter patricios ab. imp. Cæs. Trajano Hadria-* « *no* » ; 3306 : « *adlecto a sacratissimo imp. Had.* « *Aug. inter tribunitios.* » Mar., *Att.*, t. I, tab. 60 : « *adlecto inter quæstorios*, *ab actis sen. ædili curuli*, « *adlecto inter prætorios....* »

CAPUT X.

De provinciarum administratione.

Olim Neratio Prisco, quem sibi successorem destinaverat, dixerat Trajanus : *Commendo tibi provin-*

(1) Vid. A. W. Zumpt, *Honorum gradus sub impp. Hadriano et Antonino Pio secundum veterem lapidem Dacicum explicati*, in *Rhein. Museum f. Philolog.* 1843, p. 249-289.

cias, si quid mihi fatale acciderit (1). Cujus quidem præclaræ vocis memor fuit Hadrianus, qui de provinciis tam bene meritus est (2). Is enim totum fere regnum in omnibus imperii partibus peragrandis absolvit; neque frequentissimæ illæ peregrinationes id tantum fructus attulerunt ut perspiceret noster imperator quonam modo, si quid usquam desideraretur, id perficeret, verum etiam ut omnes imperii partes in unum coalescerent. Liberæ enim reipublicæ temporibus, Roma, ut ita dicam, omnia erat : hic magistratus creabantur, dabantur suffragia; summa autem rerum in principem translata, alia fuit provinciarum conditio, quæ in imperio aliquid ponderis habere cœperunt. Jam post Neronem, ut cum Tacito loquar, detectum fuerat imperii arcanum, *posse alibi principem fieri;* temporibus vero Hadriani, usurpata est insignis illa loquendi formula, quam jam supra attulimus : ἐκεῖ ἡ Ῥώμη, ὅπου ποτ' ἂν ὁ βασιλεὺς ᾖ, *ubi imperator, ibi Roma.*

De beneficiis in singulas provincias ab Hadriano collatis infra agemus; hic tantum ea nostri imperatoris consilia quæ ad totius imperii romani rationem spectant exponere instituimus.

(1) Spart., c. IV.

(2) « Καὶ κατ' ἐμὲ ἤδη βασιλέως Ἀδριανοῦ τῆς τε ἐς τὸ θεῖον τιμῆς ἐπὶ πλεῖστον ἐλθόντος, καὶ τῶν ἀρχομένων ἐς εὐδαιμονίαν τὰ μέγιστα ἑκάστοις παρασχομένου, καὶ ἐς μὲν πόλεμον οὐδένα ἑκούσιος κατέβη. » Paus., ed. Clav., t. I, p. 34. Nemo quoque ignorat multos superesse Hadriani nummos in quibus legitur : RESTITUTORI, cum nomine provinciæ, sicut Achaiæ, Galliæ, etc., vel etiam : *Restitutori. Orbis. Terrarum;* in nummis quibusdam rarissimis legitur : *Locupletatori. Orbis. Terrarum.* Vide Greppo, *Mém. sur les voyages d'Hadrien et sur les médailles qui s'y rapportent*, p. 26 et sqq.

Ut omnes boni imperatores, illud præsertim cordi habuit, ut rectores provinciarum æquitatis legibus inservirent, neque circa rapinas immorarentur. « Circumiens provincias, ait Spartianus (1), procu- « ratores et præsides pro factis suppliciis affecit, ita « severe ut accusatores per se crederetur immit- « tere. » Quidquid vim atque violentiam redolebat, aut belli calamitatum memoriam revocare poterat, maxima cum cura sustulit. Quapropter sensim provinciarum rectores *judices* vocandi mos invaluit, quod quidem significare videbatur *jus dicere* præcipuum provinciarum rectorum munus esse habendum (2).

Jubebantur præsides provinciarum, qui suo munere functi erant, in aliqua provinciæ civitate per quinquaginta dies ad minimum publice versari, ut esset omnibus copia eos accusandi. Qua quidem lege teneri præsidum legatos voluit Hadrianus, ut reperitur in Dig., lib. I, tit. XVI, § 10, : « Non dissimili « ratione, proconsul legatum suum, ne ante se de « provincia dimittat, et lege Julia repetundarum, et « rescripto divi Hadriani ad Calpurnium Rufum pro- « consulem Achaiæ admonetur. »

Mos erat, libera republica, provinciales atque socios ducibus romanis, victoria lata, ex auro coronas offerre, quas isti, quum triumphum agerent, ostentare solebant. Postea vero pro coronis certam pecuniæ summam conferre in usum venit, quodque libenter olim tributum fuerat ab imperatoribus

(1) C. 13.

(2) Spart., c. 21. « De judicibus omnibus semper cuncta scrutando, tamdiu requisivit quamdiu verum inveniret. » C. 22. « Judicum sumptus constituit et ad antiquum morem redegit. »

atque proconsulibus, sicuti alia tributa, diligentissime exactum fuit. Neque ulla provincia, ne Italia quidem, illius tributi immunis erat; quinetiam, sub imperatoribus, non tantum propter partam de hostibus victoriam debebatur aurum coronarium, verum etiam uniuscujusque principatus initio, vel quum vota decennalia nuncuparentur, vel denique quum aliquis in familiam imperatoris per adoptionem Cæsar adsisceretur. Hadrianus autem illud non semel ab optimo quoque principe condonatum fuisse non immemor, ultro remisit Italiæ, multumque minuit in provinciis (1).

Idem, ut provincialium onera allevarentur, iis reliquorum indulgentiam dedit. De qua liberalitate testes sunt Spartianus et Dio. Prior ait in hunc modum: « Infinitam pecuniam, quæ fisco debebatur, « privatis debitoribus in urbe atque Italia, in pro« vinciis vero etiam ex reliquis ingentes summas « remisit, syngraphis in foro divi Trajani, quo ma« gis securitas omnibus roboraretur, incensis (2). »

Nonnulli recentiores historici, Onuphrii Panvinii errore decepti, ab illo principe novam imperii romani provinciarum divisionem factam fuisse crediderunt. Quantum autem a vero abhorreat hæc opinio apertissime demonstravit Poinsignon in doctissima dissertatione de origine provinciarum romanarum (3). Nunc autem de singulis provinciis agamus.

Italia. — Ultimis reipublicæ temporibus, jure civi-

(1) Sp., c. 6.

(2) C. 7; Dio, c. 7. Cf. Grut., x, 6; Eckhel, vi, p. 478.

(3) A. M. Poinsignon, *Sur le nombre et l'origine des provinces romaines créées depuis Auguste jusqu'à Dioclétien*. Paris,

tatis per totam Italiam propagato, provinciarum conditioni longe præponenda erat illius regionis conditio, utpote quæ non solum non eadem tributa penderet, verum etiam magistratibus suis uteretur. Hunc rerum statum leviter immutavit Augustus, qui totius orbis romani, Italia non excepta, nova ratione adhibita, censum egit. (1) Verisimile est ad illa tempora referendam esse Italiæ divisionem in duas partes, *Italiam* scilicet *annonariam* atque *suburbicariam*, quarum una, tributi soli tributique capitis immunis, commeatibus modo in Romam atque exercitus præstandis obnoxia erat; altera autem, cujus fines usque ad Antoninorum ætatem in incerto positi sunt, iisdem immunitatibus, quibus Roma, fruebatur. Prior a magistratibus municipalibus regebatur, posterior vero ad jurisdictionem præfecti urbis pertinebat (2). Mox, Tiberio imperatore, ex lege Petronia (19 p. Chr. nat.) in municipiis, ut et Romæ, ad senatum comitia translata sunt, ita ut Italiæ incolæ, si ad jura politica respiciatur, provincialibus haud ita præstarent (3). Sed priorum in eo potior erat conditio, quod levius tributum, annonam scilicet, pendebant,

1846. Eo Aur. Vict. loco quem jam supra attulimus, et in quo nulla provinciarum divisionis cujuslibet mentio est, nititur Panvinius : « Officia sane publica et palatina, necnon militiæ, in eam formam statuit (Hadrianus) quæ, paucis per Constantinum immutatis, hodie perseverat. » Ep., c. 14.

(1) Huschke, *Ueber den zur Zeit der Geburt Jesu christigehaltenen Census*. 1840. — Ejusdem *Ueber den Census und die Steuerverfassung der fr. Kaiserzeit*. 1847.

(2) Naudet, *Les changements opérés dans l'administration de l'empire romain sous Dioclétien et sous Constantin*, introd., t. I.

(3) A.W. Zumpt, *Commentationes epigraphicæ*. 1850, in-4.

atque eorum civitates a magistratibus suis administrabantur. Hadrianus autem, cujus omnia consilia ad id spectabant, ut omnes imperii partes quasi in unum corpus coalescerent, hunc rerum statum immutare, atque Italiam, quoad fieri posset, cum ceteris provinciis exæquare conatus est.

Equidem, quod ad tributa pertinet, Italiæ conditio eadem permansit. Ab illo autem tempore minui civitatum jura cœperunt, et magis ac magis earum magistratus ex magistratibus sive Romæ, sive in Italia, ab imperatore constitutis, pependerunt. Illius novæ conditionis Italiæ indicium anno 80 p. Chr. nat. deprehendere est. In inscriptione quadam, quæ ad Titi tempora pertinet, mentio occurrit proconsulis Campaniæ (1). Veri autem simile est illum proconsulem esse unum ex *curatoribus restituendæ Campaniæ*, quos Titus post eruptionem Vesuvii e consularium numero elegit. Nihil igitur in eo Titi consilio ad novam totius Italiæ constituendæ rationem attinuisse videtur (2). Hadrianus autem majus aliquid sibi propositum habuit, atque quatuor consulares, quibus Italia permitteretur, constituit.

Hic nobis solvenda est duplex quæstio : primum scilicet quas Italiæ regiones administrandas habuerint singuli consulares, quibus dein finibus circumscripta fuerit eorumdem jurisdictio. Iis autem de rebus multum inter se dissident eruditi, nec mirum : perpauca enim nobis suppetunt scriptorum testimonia, lapides autem omnino tacent. Quæ quidem documentorum inopia ex eo orta esse nobis videtur,

(1) Orell., 753. L. Næratius Priscus... Procons. Campaniæ.
(2) Suet., Tit., 8.

quod per brevissimum temporis spatium ii consulares Italiam rexerunt, Hadriani scilicet atque Antonini temporibus, post quæ M. Aurelius juridicos instituit. Inter omnes recentiores qui de hac re disputaverunt eminent Poinsignon in dissertatione, quam supra citavimus, *De origine provinciarum imperii romani*; Dirksen, in opere *De scriptoribus Historiæ Augustæ*; denique Marquardt, qui, in libro doctissimo *De antiquitatibus romanis* conficiendo, defuncti A. Bekker, viri illius eruditissimi, haud impar partes suscepit et persecutus est. Quorum vestigia secuti, hanc Hadriani administrationis partem, nonnullis additis, illustrare statuimus.

Ac primum nobis operæ pretium videtur hic colligere omnia veterum testimonia ad Hadriani consulares pertinentia. Spart., Hadr., 22, sic ait: « Quatuor « consulares per omnem Italiam judices constituit. » —Capit., Ant. P., 2, 3 : « Ab Hadriano inter quatuor « consulares quibus Italia committebatur electus est « ad eam partem Italiæ regendam, in qua plurimum « possidebat, ut Hadrianus viri talis et honori consu- « leret et quieti. Huic, cum Italiam regeret, imperii « omen factum est. Nam, cum tribunal adscendisset, « inter alias acclamationes dictum est : « Auguste, dii « te servent. » Capit., M. Antonin., XI. : « Datis ju- « ridicis Italiæ consuluit, ad id exemplum quo Hadria- « nus consulares viros reddere jura præceperat. » Appian., *B. C.*, 1, 38 : « ἦσαν γάρ, ὡς ἔοικε, τότε καὶ τῆς Ἰταλίας ἄρχοντες ἀνθύπατοι (intelligit hic consulares ; vid. Marini, *Atti*, II, p. 759) κατὰ μέρη, ὅ καὶ Ἁδριανὸς ἄρα μιμούμενος ὕστερον χρόνῳ πολλῷ, τὴν αὐτοκράτορα ἀρχὴν Ῥωμαίοις ἡγούμενος, ἀνεκαίνισε, καὶ μετ' αὐτὸν ἐπέμεινεν ἐς βραχύ. »

Ex Spartiani verbis patet consularium jurisdictionem non ad partem Italiæ quamdam, inferiorem scilicet, ut putat Dodwell in Prælect. Camden (1), sed ad omnes Italiæ regiones pertinuisse. Quomodo autem inter illos quatuor consulares omnes Italiæ regiones distributæ fuerint dirimere haud in promptu est Ac primum, ut apertissime demonstravit Poinsignon, non hic intelligenda usque ad Alpes Italia, quippe quæ eo tempore in duas partes esset divisa, quarum una Italia Transpadana dicta, sicut ceteræ provinciæ, a legatis regebatur, altera autem Cispadana, cui præfecti fuerunt quatuor Hadriani consulares (2). Quod ad regiones Italiæ Cispadanæ spectat, quas singuli consulares rexerunt, fatendum est omnino scriptorum et lapidum testimonia desiderari, nisi tamen excipias Capit., de Ant. Pio, cujus verba manifesto demonstrant a singulis consularibus plures regiones una administratas fuisse. Idem Poinsignon, fretus inscriptionibus ad *juridicos*, qui, Marco Aur. imperante, consularium locum occupaverunt, pertinentibus, conjicit illas regiones inter quatuor Hadriani consulares ita distributas fuisse : Campania et Samnium, — Apulia et Calabria, — Brutium et Lucania, — Etruria, Umbria et Picenum, exceptis quidem suburbicariis regionibus, quæ ad jurisdictionem præf. urb. attinebant, quæque videntur parte Tusciæ, parte Piceni, regione Sabinorum, Latio et forsan regione Marsicorum constitisse.

(1) N° IX, p. 351 et sqq.

(2) Orelli, 60. « L. OElio. Helvio. Dionysio. C. V... Corrector utriusque Italiæ. » — 2873. « C. Julio. M. F. Volt... legat. Aug. P. P. regionis Transpadanæ... ab actis Imp. Traj. Aug. »

Nunc veniamus ad jura quibus fruebantur Hadriani consulares. Dirksen putat ea jura non solum causas in jure civili positas complexa fuisse, ut et postea juridicorum, verum etiam judicia capitalia necnon ædilitia, quibus de rebus supremo judicio statuebant (1). Neque tamen putandum est ceterarum provinciarum præsidum omnino partes gessisse Hadriani consulares : civitates enim Italiæ, ut cuique notum est, Antoninorum temporibus, ita suis magistratibus suisque legibus utebantur ut necesse esset minus patere jura consularium quam præsidum. Quocirca conjici licet cum municipiis italicis eadem fere ratione egisse consulares ac nonnulli egerint magistratus, qui sub imperatoribus provincias, in quibus exstabant multæ liberæ civitates, cujus generis erant Achaia atque Asia, administrandas acceperunt. Quade re testem habemus Plin., *Ep.*, VIII, 24, ad Maximum : « Cogita te missum in provin-« ciam Achaiam, missum ad ordinandum statum « liberarum civitatum, Athenas esse quas adeas, La-« cedæmonem esse quam regas. » Atque infra, X, 56, de Apamea, colonia romana : « Cum vellem Apa-« meæ, domine, cognoscere publicos debitores, et « reditum, et impendia, responsum est mihi cu-« pere quidem universos ut a me rationes coloniæ « legerentur, nunquam tamen esse lectas ab ullo « proconsulum ; habuisse privilegium et vetustissi-« mum morem, arbitrio suo rempublicam admini-« strare. » Ad quam Plinii epistolam Trajanus

(1) P. 95. Cap., M. Ant., x. « Datis juridicis Italiæ consuluit, ad id exemplum quo Adrianus consulares viros reddere jura præceperat. »

rescripsit se velle rationes coloniæ legi, « salvis « quæ habet privilegiis ». Notandum est Plinium atque Maximum extraordinario imperio ornatos fuisse. Denique sub Hadriano fuit Tib. Claudius Herodes liberarum civitatum *corrector* (διορθωτής) constitutus, ut docet Philostratus, qui, in vit. Soph., I, 25, 6, sic ait : « Κατὰ χρόνους, οὓς τὰς ἐλευθέρας τῶν πόλεων αὐτὸς διωρθοῦτο. — II, 1, 3 : « ἦρχε μὲν γὰρ τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν ἐλευθέρων πόλεων ὁ Ἡρώδης » (cf. Corp., I. GR., 3187). Idem munus habuisse videtur T. Sev., de quo agitur in his duabus inscriptionibus (C. I. GR., 4033, 4036): « Πρεσβεύσαντα ἐν Ἀσίᾳ ἐξ ἐπιτολῆς καὶ κωδικίλλων θεοῦ Ἁδριανοῦ. — Πεμφθέντα εἰς Βειθυνίαν διορθωτὴν καὶ λογιστὴν ὑπὸ θεοῦ Ἁδριανοῦ. « Testatur denique Arrian., *Epict. Diss.*, III, 7, illos magistratus, διορθωτὰς nomine, jurisdictione, quod ad pœnas pertinet, latissime patente usos esse. Sic enim loquentem inducit magistratum : « Ἀλλὰ καὶ κριτής εἰμι τῶν Ἑλλήνων, Καῖσαρ μοι κωδίκελλον ἔγραψε, δύναμαι ὃν θέλω εἰς φυλακὴν βαλεῖν, δύναμαι ξυλοκοπῆσαι (fustibus cædere) ὃν θέλω. »

Atqui nobis videtur, quum certa de consularibus ab Hadriano institutis testimonia deficiant, statui posse illorum magistratuum in Italia eadem fere jura exstitisse atque eorum, de quibus modo diximus, in Achaia, in Bithynia, in Asia constitutorum; imperatores autem, quum utrosque instituerent, ad id in primis spectasse ut municipiorum jura magis ac magis minuerent atque in omnibus provinciis ad eamdem formam, quantum res paterentur, redigerent.

Multa quoque diversi generis opera in Italia confecit Hadrianus, ut testantur lapides scriptoresque. Ac primum plures vias restituendas curavit. Grut, CLVI,

2: *Imp. Cæsar... Hadrianus. Aug. Pont. Max. Trib. Pot. VII. Cos. III. Viam Cassiam. Vetustate. Collapsam. A. Clusinorum. Finibus. Florentiam. Perduxit. Millia. Passuum. XXCI.* Et ib., CLI, 5:.. *Hadriani... Trib. Pot. VI. Cos. III. Viam. Suessanis. Municipibus. Sua. Pec. Fecit.* — Ap. Maffei, *Mus. Veron.*, CCXXXI, 5:.. *Hadrianus. Trib. Pot. IX. Cos. III. Viam. Ivliam. Aug. A. Flumine. Trebia. Quæ. Vetustate. Interciderat. Sua. Pecunia. Restituit.* Inscript. ap. Th. Mommsem, *Bullet. d. inst.*, 1848, p. 9, docet, ann. 123 et 124, Hadrianum ad viam inter Benev. et Erlano restituendam 1, 147,000 HS. contulisse. Idem pecuniam contulit in opera publica urbis Signiæ, ut discimus ex inscript. in *Ann. d. Inst.*, 1829, p. 87. Cf. Greppo, *Mém. sur les voyages de l'empereur Hadrien et sur les médailles qui s'y rapportent*, p. 57-60. Legimus quoque ap. Spart. nostrum imperatorem « lacum Fucinum emisisse », quod quidem difficile opus jam aggressi fuerant J. Cæsar et imp. Claudius, qui ad id, per undecim annos, triginta millia hominum adhibuit. Idem nos docet (c. IX) Hadrianum multa Campaniæ oppida beneficiis et largitionibus sublevasse.

Gallia — Hadrianus bis hanc provinciam lustravit, primum postquam Campaniam refecit, ut ait Spartianus, deinde quum ex Britannia rediret. Sic ait Spartianus : « Post hæc (modo supra de Campania « dixerat) Hadrianus profectus in Galliam, omnes « causarios liberalitatibus sublevavit. (1) » Hic locus plurimum vexavit eruditos, qui de verbo *causarios*

(1) C. 10.

maxime inter se dissident. Ms. Pal. *liberalitatibus casuariis* et quoque *causariis* habet; quarum lectionum priorem, ut omnino barbaram, omnes editores rejecerunt, posteriorem autem probaverunt Casaubonus et Gruterus, qui quidem liberalitates, si quibus calamitates accidissent, concessas intellexerunt. Quibus assentiri non possumus, quia nonnisi certis quibusdam verbis substantivis hoc epithetum adjici solet, ut *missio causaria*, quum de militibus valetudinis causa missis agitur. Puteanus vero ex nonnullis membranis quibus in Italia usus erat proposuit *censuariis liberalitatibus*, id est ad vectigalia pertinentibus, quæ lectio Casaubono satis placet, quamvis quomodo potuisset noster imperator hac ratione Gallias sublevare haud in promptu sit intelligere. Namque, ut supra dictum est, Hadrianus, ut primum imperium adeptus fuit, in toto orbe romano reliqua vetera abolevit. Salmasius denique *causarios* admittit, miseros autem intelligit. E. Dirksen atque Eg. Forcellini secuti, putamus hanc lectionem genuinam esse : *omnes causarios liberalitatibus sublevavit*, sicut Salmasius ipse voluit, alio autem sensu. Namque hic cogitandum est non prorsus de miseris, sed de causariis militibus iisdemque miseris; qui quidem valetudinis causa mittebantur, ac sæpissime tantum *causarii* dicebantur, ut apud Liv., VI, 6 : « Tertius exercitus ex *causariis* seniori- « busque a L. Quinctio scribatur, qui urbi mœni- « busque præsidio sit. » Quam quidem interpretationem confirmant ea omnia quæ de Hadriano, qui tam diligenter rei militari consuluit, accepimus (1).

(1) Nonnullæ supersunt inscriptiones ad beneficia in Gallias

Nunc de provinciis atque civitatibus Galliæ circa Hadriani ætatem nonnulla dicamus. Sub finem Augusti principatus, Gallia in quatuor partes distributa erat, quarum una Aquitania dicta, alia Narbonensis, tertia Lugdunensis, quarta denique Belgica. Tiberio autem imperatore, duæ provinciæ additæ sunt, Germania superior ac Germania inferior, quarum pro temporibus fines varii. Etenim, sub Tiberio, duæ Germaniæ ad ripam Rheni sinistram, a regione Triboccorum usque ad ostia Rheni, quasi munimentum adversus Germanos constitutæ sunt. Domitiano autem imperante, Germaniæ superioris fines ultra Rhenum prolati sunt, quos quidem Hadrianum muro a Regino (Ratisbonne) usque ad Moguntiacum (Mayence) perducto munivisse conjici licet. Ad quod opus, ut verisimile est, spectant hæc verba Spartiani (1) : « Per ea tempora et alias frequenter « in plurimis locis, in quibus Barbari non flumini- « bus, sed limitibus dividuntur, stipitibus magnis in « modum muralis sepis funditus jactis atque con- « nexis, Barbaros separavit. »

Quod ad statum Galliæ politicum, circa nostri imperatoris ætatem, pertinet, pauca nobis supersunt. Ab Augusto usque ad Vespasianum, in dies magis ac magis leges artesque Romanorum Gallia admisit, ac

ab Hadriano collata pertinentes ap. L. Millin, *Voyage dans le midi de la France*, t. II, p 76 : *Imp. Cæs.... Hadriano. Aug. Pont. Max. Trib. Potest.* III. *Cos.* III. *N. Rhodanici. Indulgentissimo. Principi.* Hic agitur de *nautis rhodanicis*. Cf. t. III, p. 52.

(1) C. 22. Cf. Ukert, *Geogr. d. Gr. u. R. Germania*, p. 278. — Roth, *Die Vereinigung Schwabens mit dem römischen Reiche durch Domitianus*, in *Schweizer Museum für hist. Wiss.*, t. II, p. 30. — Leichtlen, *Schwaben unter den Römern*. 1825, 8.

plerique populorum qui eam incolebant jure civitatis donati fuerunt. Vespasianus autem cum Gallia pariter ac cum ceteris imperii romani provinciis egit, id est complures civitates beneficiis olim concessis spoliavit. Quam quidem rationem non adhibuit Hadrianus, qui contra in id prorsus incubuerit, ut jura civium romanorum quam latissime propagarentur, atque ita omnium gentium quæ in orbe romano erant coagmentatio festinaretur. Qua de causa multis civitatibus gallicis Latium dedit, eas autem quæ jam hoc jure fruebantur, præsertim in Narbonensi provincia, civitate donavit atque colonis frequentavit (1).

Germania. — Hadrianus, Galliis lustratis, in Germaniam transiit, ibique, ut docet Spartianus, « post « Cæsarem Octavium labantem disciplinam incuria « imperatorum superiorum restituit ». Namque in Germania, ut cuique notum est, ab Augusti temporibus, quinque legiones ex militibus delectis compositæ, quarum duæ in Germania superiore, tres autem in Germania inferiore, commorabantur. Circa autem Hadriani ætatem, ut videtur, luxus omnisque generis voluptates per illas legiones irrepserant, ita ut brevi, ni huic malo remedium attulisset Hadrianus, colluvies barbarorum, qui Germaniam incolebant, Rheno trajecto, in Gallias impetum facturi fuissent; quodquidem periculum ut averteret Hadrianus, pristinam disciplinam revocare statuit, exemplo suo jussa confirmans. « Nunquam passus est « aliquem a castris abesse, triclinia, porticus, cryp-

(1) Zumpt, *Comm. Epigr.*, p. 411.

« tas et topia dirui jussit, necnon arma supellecti-
« lemque correxit (1). » Veri est simile eodem tempore nostrum imperatorem, ut et jam sub superioribus imperatoribus factum erat, alicujus germanicæ gentis rebus turbatis sese immiscuisse, atque regem populi romani socium instituisse.

Britannia. — Ineunte Hadriani principatu, pauci effluxerant anni ex quo Britannia a Romanis subacta fuerat atque in provinciam redacta; quapropter, libertatis amissæ desiderio acta, novæ dominationi adhuc reluctabatur, atque etiam circa Trajani mortis tempus rebellionem fecerat. Præterea gentes barbaræ quæ partem Britanniæ septentrionalem incolebant sive regioni infra positæ vastationem minitabantur, sive eidem rebellanti socias sese addebant. Neque apud Spartianum, neque apud Dionem, belli cum Britannis ab Hadriano gesti mentio reperitur, Fronto autem, in Fragm. de bello parthico, nos docet Britannos acriter adversus Romanos restitisse. Hic scribit in hunc modum : « Quid ? Avo vestro Hadria-
« no imperium obtinente, quantum militum a Judæis,
« quantum a Britannis cæsum. » Neque illud nostro imperatori satis fuit. Voluit quoque, Agricolæ exemplum secutus, murum exstruere, quo barbari a Romanis dividerentur. « Britanniam petiit, ait Spartia-
« nus, in qua multa correxit, murumque per octo-
« ginta millia passuum primus duxit, qui barbaros
« Romanosque divideret. » Jam antea, anno 81 p. Chr. n., validum munimentum exstruere cœperat Agricola, quod inter Clotam et Bodotriam por-

(1) Spart., c. 10.

rectum, Antonino Pio imperatore, anno 140, a Lollio Urbico confectum fuit (1). Murus autem Hadriani, quem Septimius Severus perfecit, quique ab Ilunæ æstuario usque ad ostium Tinæ ductus fuit, sæculo sequente, Britanniæ romanæ finis factus est. Duplici vallo constabat, quorum unum ad septentrionem spectans cæmentitium erat atque uno et octoginta castellis erat munitum, alterum autem ad meridiem pertinens aggere modo cum fossa erat firmatum. Prius autem ab Hadriano exstructum fuit (2).

Hispania. — Hadrianus, postquam, rebus in Britannia compositis, iterum Gallias invisit, in Hispaniam transiit atque Tarracone hiemavit. Ibi, ut docet Spartianus, sumptu suo ædem Augusti restituit (3). Idem addit : « Omnibus Hispanis Tarraconem in « conventu vocatis, delectumque jocular iter, ut « verba ipsa ponit Marius Maximus, detrectantibus « Italicis vehementissime, ceteris prudenter et caute « consuluit (4). » Bergier (*Histoire des grands chemins de l'empire romain*) attulit nonnullas inscrip-

(1) Tac., *Agr.*, 23.

(2) Sp., Sev., 18, 22; Aur. Vict., Cæs., 20; Eutrop., viii, 10.—Cf. Mannert, *Geog. d. gr. u. R.*, ii; Böcking, *Not. dign. occ.*, ii, p. 888-957; Horsley, *Brit. Rom.*, p. 160; Lingard, *Hist. d'Angleterre*, t. i, p. 61.

(3) C. xii.

(4) Hic *jculariter* intelligi debet non leviter, aut per jocos et facetias, sed ridiculo more amputatis digitis. Deinde *vehementissime consulere* idem est atque asperius et severissime cavere. Denique hic agitur de Italicis, Italicæ municipii incolis, non autem de ex Italia ortis. (Vid. Goth., in *Comm. cod. Th.*, ii, p. 377.)

tiones quæ testantur Hadrianum in illa provincia, ut et in aliis, sive novis viis instaurandis, sive veteribus curandis mentem advertisse; quarum una ad opera quæ confici jussit prope Bracaram pertinet. Hæc est : *Imp. Cæsar. Trajan. Hadrian. Aug. Pont. Max. Trib. Pot. XVIII. Cos. III. P. P. A. Bracar. Aug. M. P. XXIII.* In Lusitania non procul ab urbe Cappara exstat milliarium in quo legitur hæc inscriptio quæ testatur Hadrianum hanc viam restituisse : *Imp. Cæsar. Divi. Trajani. Parthici. F. Divi. Nervæ. Nepos. Trajanus. Hadrianus. Aug. Pontif. Max. Trib. Pot. V. Cos. III. Restituit. CII.* In magna via strata quæ ab urbe Aquis-Flaviis ad urbem Bracaram ducit reperire est nonnulla milliaria, quorum duo in ecclesiam Angeli-Custodise ejusdem urbis translata sunt, quæ quidem indicant hanc viam a nostro imperatore refectam esse : *Imp. Cæs. Traj. Hadrianus. Aug. P. M. Pot. XX. Refecit. Aquis. Flaviis. M. P. II.*

De populis ripas Danubii atque regiones vicinas accolentibus. — Hic dicemus de populis qui Rhœtiam, Vindeliciam, Noricum, Pannoniam, Mœsiam, Daciam, Illyricum, Macedoniam, Thraciam, Achaiam denique cum Epiro incolebant. Ex his quæ supra disputata sunt quanta cum diligentia Rheni ripas adversus barbaros muniverit Hadrianus muros exstruendo, disciplinam restituendo, atque gentium germanicarum rebus sese immiscendo, manifestum est. Idem vero studium eamdemque prudentiam in ripis Danubii tuendis impendit noster imperator, quod quidem consilium in animo habebat quum Daciam a Trajano partam, sicut Armeniam, Mesopotamiam et

Assyriam, relinquere cogitavit (1), ratus imperium romanum nonnisi intra veteres terminos, Rhenum scilicet, Danubium atque Euphratem, conclusum stare, atque ita colluviem barbarorum undique imminentium propulsari posse. Ceterum, quod spectat ad barbaros qui ripas Danubii accolebant, eamdem agendi rationem atque erga alias barbaras gentes adhibuit Hadrianus, quippe qui sive cum eis fœdera sancire, sive eos exercituum romanorum aspectu continere, quam cum eis armis congredi maluerit. Initio ejus principatus Sarmatæ atque Roxolani arma capessiverant atque romanos fines perrumpere minitati erant : qua re audita, Romam reliquit Hadrianus ac, sive armorum vi, sive persuasione ac donis, has regiones pacavit atque Martium Turbonem, titulo ægyptiacæ præfecturæ, quo plus haberet auctoritatis, ornatum, Pannoniæ Daciæque ad tempus præfecit.

Verisimile est solummodo circa Constantini tempora Rhœtiam in duas partes divisam fuisse, tumque demum Vindeliciam Rhœtiam secundam dictam fuisse. Quod idem factum est de Norico, quod Ptolemæi tempore nondum in duas provincias distributum erat. Quod ad Pannoniam pertinet, hæc provincia primo sæculo post Chr. nat. non divisa fuit, ut docent scriptores atque inscriptiones (2). Secundo

(1) Neminem fugit Hadrianum primum in animo habuisse Daciam a Trajano partam relinquere, deinde ab ea sententia revocatum fuisse, quia jam in illa provincia non ita pauci cives Romani sedem haberent.—Eutrop., VIII, 6; Grut., p. 248, 8; Zumpt, *Rhein. Mus.*, 256.

(2) Dio, LV, 29. In tab. missionis., Tit. imp. ann. 80 et

autem sæculo, a Trajano, ut videtur, distinguuntur Pannonia superior atque Pannonia inferior. Sub Trajano, ut docet Spartianus, in Pannoniam inferiorem legatus prætorius missus fuit Hadrianus (1). Modo supra vidimus, nonnisi autem fortasse ad tempus, barbaris irruptionem minitantibus, Pannoniam atque Daciam ab uno regendas nostrum imperatorem statuisse. Mœsia quoque, ultimis Domitiani aut primis Trajani principatus annis, in duas provincias distributa fuit. Quocirca, cum apud Spartianum (2) legitur : « audito tumultu Sarmatorum et Roxolanorum, præmissis exercitibus, Mœsiam petit », una ex Mœsiis intelligenda est. Namque in tabula missionis Trajani, ann. 106, ap. Arneth, p. 44, exstant hæc verba : *Et sunt in Mœsia inferiore sub A. Cæcilio Faustino* (Cf. Marini, p. 738). Num autem Daciam diviserit Trajanus non dici potest, sed e tabula missionis Hadriani, ap. Arneth, p. 54-56, patet hanc provinciam sub illo imperatore in duas partes separatam fuisse. In hac enim tabula dicitur : *Et sunt in Dacia inferiore sub Plautio Cæsiano.* Nihil est quod de Illyrico aut de Macedonia dicamus, quippe quarum provinciarum status idem fere circa Hadriani tempora atque Augusti ætatem fuerit. Thracia autem, Claud. imp. ann. 46 in provinciam redacta, cum regione asiatica ripis Hellesponti vicina, Hellesponto nomine, conjuncta fuisse videtur (3). Nunc, ut quæ

Domitiani ann. 85, ap. Arneth, p. 33, 35, 39, 41, de Pannonia nonnisi singulariter agitur.

(1) C. 3.

(2) C. VI.

(3) Eustath. ad Dionys. Perieg., V, 270.

ad Europam pertinent absolvamus, ad Achaiam transeamus.

Omnem fere Græciam invisit Hadrianus ac bis Athenis hiemavit. Panhellenia in hac urbe instituit, ad quæ missi a civitatibus legati sive *theori* constituebant haud dubie consilium aliquod, cujus singuli consiliarii Panhellenes erant dicti, quorum frequens in titulis *C. inscript. græc.* mentio est (1). Cujus autem consilii quæ fuerint jura dicere haud in promptu est. Veri est simile in eo instituendo eam fuisse Hadriani mentem ut umbram illam libertatis, qua ab expugnatione Corinthi usa erat Græcia, adaugere videretur. Legitur quoque apud Eusebium (2) Hadrianum Atheniensibus leges dedisse. Ait in hunc modum : « Ὁ αὐτὸς Ἀθηναίοις ἀξιώσασιν ἐκ τῶν Δράκοντος καὶ Σόλωνος νόμους ἐπισυνέταξεν, χειμάσας εἰς Ἀθήνας καὶ μυηθεὶς τὰ Ἐλευσίνια, καὶ γεφυρώσας Ἐλευσῖνα κατακλυσθεῖσαν ὑπο Κηφίσου ποταμοῦ. » Quomodo autem veteres Atheniensium leges immutaverit Hadrianus plane nos fugit. Ex nonnullis titulis atque ex Pausania (I, 3) conjicit Bœckh (3), Hadriani ætate, institutis tredecim tribubus, senatum ad pristinum quingentorum numerum, additis paucis præterea aliis, redactum fuisse. Forsan quoque hic agitur de ejus modi civitatis Atheniensium ordinatione cujus supra de nonnullis asiaticis urbibus liberis mentio facta est. Quidquid autem id fuerit, titulus quidam, qui ap. Bœckh reperitur (4), testatur Hadrianum, dum

(1) Bœckh, *C. I. G.*, t. I, n° 351.

(2) Ed. Zohrab et Mai, p. 382.

(3) T. I, p. 440, n° 380.

(4) P. 424, n° 355.

Athenis moraretur, memorabile de olearum cultura et commercio decretum edidisse. Idem Bœckh hanc legem, in qua multi erraverunt, optime enucleavit. Cujus quidem hæc sunt verba : « Hanc le-
« gem male interpretaretur qui putaret rempubli-
« cam oleo mercaturam fecisse. Et olearum cultura
« et olearium commercium privatis libera fuerunt,
« nisi quod hac Hadrianus lege beneficio atticæ rei-
« publicæ constituit, ut certa olei portione ab agri-
« colis conferenda et reipublicæ necessario ven-
« denda usui olei publico provideretur. Nam, quum
« oleum atticum in primis nobilitatum esset, veren-
« dum fuit ne, aucta exportatione, deficeret oleum
« publicis necessitatibus gymnasiorum, ludorum,
« balnearum, sacrorum, prytanei... »

Dione teste (1), Cephalleniam totam Atheniensibus dono dederat Hadrianus. Attamen ap. *C. I. G.*, n° 340, legitur : « ἡ πόλις πόλεων τῆς Κεφαλληνίας ἐλευθέρα καὶ αὐτόνομος... » Ob eam causam ipsam, putat Bœckh, Cephallenes civitatem suam ἐλευθέραν καὶ αὐτόνομον dictitabant, ne Atheniensibus subdita crederetur. Aut igitur, addit idem, Cephallenes rursus exemerat Hadrianus, aut, quæ P. Paciaudi sententia est, donatio illa fuit honoraria adscriptio.

Ceterum neque monumentorum ab Hadriano exstructorum, de quibus infra dicemus, neque decretorum sua gratia editorum, immemores fuerunt Athenienses, qui primum Hadriani Athenas adventum sibi epocham fecerunt annorum numerandorum, ut

(1) LXIX, 16.

discimus ex tit. 281, ap. Bœckh, t. I, p. 390 (1), nec non tribubus antiquis novam Hadrianidem nomine addiderunt, quorum exemplum secuti sunt Megarenses, ut ex tit. 1072, t. I, p. 566, *C. I. G.*, constat.

Quod ad provinciæ Achaiæ fines pertinet, verisimile est Hadriani temporibus eam Achaia modo atque Thessalia constitisse : namque Arr., *Epict.*, III, 3, Epiri procuratorem affert. (Τὸν τῆς Ἠπείρου ἄρχοντα καὶ ἐπίτροπον.) Cf. *C. I. G.*, t. II, p. 983 : Ἐπίτροπος Σεβαστοῦ Ἠπείρου.

Africa. — Paucissima nobis tradidit de rebus Hadriani in Africa gestis Spartianus, qui ait in hunc modum, c. 13 : « Post hoc per Asiam et insulas ad « Achaiam navigavit, post in Siciliam. Inde Romam « venit, atque ex ea in Africam transiit, ac multum « beneficiorum provinciis africanis attribuit. » Plures nummi supersunt in quibus Hadrianus vocatur *Restitutor Africæ*.

Trajano imperatore, in Cyrenaica Judæi rebellionem fecerant, quæ mox late propagata omnes Africæ provincias incenderat atque innumeris prædatoribus expilandas tradiderat, ita ut, quum eam adiit Hadrianus, Libya prope deserta atque inculta esset. Quibus autem calamitatibus ut subveniret, noster imperator undique accersivit incolas et multas condidit colonias, de quibus infra dicemus.

Vir quidem doctissimus (2) ex verbis quibusdam

(1) Hæc epocha, quum alibi nusquam memoretur, aut non diu, aut non multum videtur usitata fuisse.

(2) D'Avezac, *Afrique ancienne*, p. 127.

Appiani et Ptolemæi Hadrianum putavit aliam *Provinciæ Proconsularis* divisionem instituisse. Appianus quidem, initio historiarum, quum gentes Romanis subjectas dinumerat, separatim de Mauris, de Numidia, de Africanis Carthaginis et de Africanis littoris Syrtium agit. Ptolemæus quoque, quod ad Africam proconsularem pertinet, urbes quæ in ditione erant et Carthaginis et Adrumeti, et urbes inter Syrtes, probe distinguit. Nummis autem atque lapidibus tacentibus, haud in promptu est affirmare utrum illius provinciæ statum geographicum an politicum respexerint Appianus et Ptolemæus. Minus autem dubitandum est de Cyrenaicæ finibus ab Hadriano coarctatis. Ptolemæus enim provinciam Cyrenaicam (ἡ Κυρηναικὴ ἐπαρχία) occidentem versus altaribus Philenorum, orientem autem versus urbe Darnide definitam esse, atque Ægypto additos fuisse tres nomos, Marmaricum scilicet, Libycum atque Mareoticum, plane ostendit.

Lapis vetus testatur Hadrianum refecisse unam e duabus viis quæ ab urbe Carthagine ad urbem Thevesten pergebant. Hic est : *Imp. Cæs. Divi. Nervæ. Nepos. Divi. Trajani. Parthici. F. Trajanus. Hadrianus. Aug. Pont. Max. Trib. Pot. VII. Cos. III. Viam. A. Carthagine. Thevesten. Stravit. Per. Leg. III. Aug. P. Metilio. Secundo. Leg. Aug. Pr. Pr.* (Orelli, 3564) (1).

Nunc autem ad Ægyptum transeamus. Reperitur in Fl. Vop., Saturn., c. 8, epistola quam Hadrianus

(1) Hanc inscript. secundum Bened. Hase restitutam affert Greppo, p. 209 : *Ex. Auctoritate. Imp. Cæsaris. Traiani. Hadriani. Aug. Pontes. Viæ. Novæ. Rusicadensis. R. P. C. Cirtensium. Sua. Pecunia. Fecit. Sex. Iulio. Maiori. (D. C.) Aug. Leg.* III. *Aug. Pr. Pr.*

imperator consuli Serviano scripsit, et in qua de Alexandrinis multa notatu maxime digna leguntur inter quæ hæc : «... et utinam melius esset morata civitas « digna profecto quæ pro sui profunditate, quæ pro « sui magnitudine totius Ægypti teneat principatum. « Huic ego cuncta concessi, vetera privilegia reddidi, « nova sic addidi ut præsenti gratias agerent. » Quæ verba respicientes nonnulli nostrum imperatorem ab Augusti vestigiis descivisse ac vetera Alexandrinis instituta restituisse crediderunt; quæ quidem opinio refellitur testimonio Dionis, cui, ut ejus ætatis, fides adhibenda est. Is enim, lib. LI, 17, exposita Ægypti sub Augusto conditione, addit : « *καὶ σφῶν οὕτω τότε ταχθέντων, τὰ μὲν ἄλλα καὶ νῦν ἰσχυρῶς φυλάσσεται.* » Quem rerum statum ab eodem discimus nonnisi a Sept. Severo atque ab ejus filio Caracalla mutatum esse. « Βουλεύουσι δὴ, ait ille, *καὶ ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ, ἐπὶ Σεουήρου αὐτοκράτορος ἀρξάμενοι, καὶ ἐν τῇ Ῥώμῃ, ἐπ' Ἀντωνίου τοῦ υἱέος αὐτοῦ πρῶτον ἐς τὴν γερουσίαν ἐσγραφέντες.* » In quo consentit cum Spartiano, qui, in Sept. Sev., c. 16, 17, sic ait : « Alexan- « drinis jus buleutarum dedit (Sept. Severus), qui sine « publico consilio, ita ut sub regibus, ante vivebant, « uno judice contenti, quem Cæsar dedisset. Multa « præterea his jura mutavit. » Accedit quod Hadrianus ipse in epistola supra allata ita de indole Alexandrinorum ad seditiones propensa loquitur ut non veri sit simile eum Augusti præcepta neglexisse atque, libertate majori illis concessa, rebellionem eorum faciliorem effecisse. Itaque Dirksen, in *Die scriptores Historiæ Augustæ*, p. 109 sqq., conjicit hæc verba Hadriani minus ad Alexandrinos quam ad omnes Ægyptios pertinere, *huic* cum *Ægypto* non cum *Alexandria* conjungens.

Quorsum autem spectarent hæc Ægyptiis ab Hadriano concessa fortasse nos docere potest edictum præfecti Tib. Jul. Alexandri circa Galbæ imp. tempora latum, in quo inter ceteras Ægypti civitates ea notatur Alexandria cui maxime favissent impp. romani, cuique plurima privilegia concessissent, quæ in primis ad victum, commercium atque instituta religiosa illius magnæ urbis pertinuisse videntur. Nonne autem verisimile est idem sibi propositum habuisse Hadrianum, eaque privilegia, de quibus in epistola supra allata loquitur, non ad statum politicum, verum potius ad Alexandrinorum commercii rationem spectasse (1)?

Infra dicemus de monumentis apud Ægyptios a nostro imperatore exstructis; hic tantum memorabimus eum, ut litterarum amatorem decebat, Musæum invisisse atque amplificavisse. Ibi, ut testatur Spartianus (2), multas quæstiones professoribus proposuit et propositas ipse solvit. Polemonem quoque sophistam, Dionysium Milesium, et Pancratem quemdam, poetam indigenam, Musæo adscripsit, cui ædi præfecit Lucium Julium Vestinum, quem præceptorem atque ab epistolis habuerat (3).

Beneficiorum autem in se collatorum ab Hadriano haud immemores, Ægyptii illum principem adhuc vivum pro deo coluerunt, templum in ejus honorem

(1) Vid. *Rudorff's Abhandlung im Rheinischen Museum für philologie Geschichte*, *Jahrg.*, 2, p. 146 sqq.

(2) C. 20.

(3) Athen., ed. Cas., p. 677; Philostr. Soph., I, 22, 3; Letronne, *Inscript. gr. de l'Égypte*, t. 2, p. 378.

erigendum curaverunt (1) ac denique mensem nomine *Hadrianum* instituerunt (2).

Provinciæ orientales. — Dum per provincias orientales iter faciebat Hadrianus, in id intendit ut, sicut in parte imperii occidentali, fines tutiores efficeret, cum vicinis populis fœdera sanciendo. Apud Spart. legimus (3) : « Toparchas et reges ad amicitiam in- « vitavit; invitato etiam Cosdroe, rege Parthorum, « remissaque illi filia, quam Trajanus ceperat, et « promissa illi sella, quæ itidem capta fuerat. » Ac mox (4) : Regibus multis plurimum detulit; a plerisque « vero etiam pacem redemit; a nonnullis contemp- « tus est; multis ingentia dedit munera, sed nulli « majora quam Iberorum, cui et elephantum et quin- « quagenariam cohortem, post magnifica dedit « dona. »

Quod ad provincias orientales pertinet, ibi, sicut in aliis regionibus, monumenta exstruenda curavit noster imperator, vetera refecit, omnes doctos artifices donis cumulavit, civitatum privilegia auxit, atque urbes condidit aut nomine suo signavit. Multi quidem occurrunt apud Bœckh, *C. I. Gr.*, t. 1, tituli, in quibus Hadrianum præcipuæ asiaticæ urbes, sicut Smyrna, Ephesus, laudibus extollunt. Apud earum nonnullas, inter quas Smyrna, ludi Hadrianei dicti instituti sunt (5). Neque sine causa iis laudibus eum

(1) Eckhel, t. 4, p. 64.
(2) Letronne, *Inscriptions de l'Égypte*, t. 2, p. 378.
(3) C. xiii.
(4) C. xvii.
(5) Athenienses quoque Hadrianeos ludos instituerunt.

principem urbes illæ prosecutæ sunt. Namque Spartianus nos docet illum, dum provinciales orientales circumiret, nihil antiquius habuisse quam ut procuratorum ac præsidum rapinas coerceret, « nonnullos« que ex iis pro factis supplicio affecisse, atque ita « severe ut accusatores per se crederetur immit« tere (1) ».

Idem Spartianus (2) narrat Hadrianum tantum in Antiochenses odium habuisse ut Syriam a Phœnice separare voluerit, ne tot civitatum metropolis Antiochia diceretur. Nimirum Antiochenses, sicut Alexandrini, opibus diffluentes, legionibus, quæ ab omni disciplina alienæ erant, circumstantibus, ad rebellionem maxime proclives erant. Quocirca eorum superbiam frangere ac potestatem imminuere voluit Hadrianus, nec immerito : nam circa illa tempora Judæi turbati in eo erant ut arma capesserent.

Utrum ea Spartiani verba : *voluerit Hadrianus*, de facto an de consilio sint intelligenda non satis inter doctos viros convenit. In dissertatione jam supra citata de origine provinciarum romanarum ab Augusto usque ad Diocletianum, A. Poinsignon stat cum Gothofredo (3) contra Tillemont (4), atque Hadrianum Phœnicen a Syria separasse contendit. Tillemont autem, pro sua opinione defendenda, affert testimonia Ptolemæi atque Herodiani, quorum prior Syriam Palestinæ et Ciliciæ adjacentem dicit ac de Syria et Phœnice eodem capite disserit, singulis autem capi-

(1) Sp., c. XIII.
(2) C. XIV.
(3) Cod. Theod., t. 2, 1, 7, tit. 13, lex II.
(4) T. 2, p. 536.

tibus de Cilicia atque Palestina, posterior vero dicit Nigrum, sub Commodo, ut Syriæ præfectum, omni regioni inter mare atque Euphratem, ac præsertim Phœnicæ præfuisse (1). Quibus argumentis reponit A. Poinsignon, primum, quod ad Ptolemæum spectat, eum scriptorem minus divisiones ad provincias quam ad populos pertinentes respexisse, quod multis exemplis confirmat (2). Deinde haud immerito contendit apud Herodianum tantum de imperio extraordinario actum esse, atque Nigrum ad tempus his provinciis fuisse præfectum, ut Martius ille Turbo quem Spartianus dicit ad tempus Pannoniæ Daciæque præfuisse. Idem A. Poinsignon, ut suam opinionem tueatur, tria testimonia affert, S. Justini scilicet, Suidæ atque Tertulliani. Ait in hunc modum Justinus : (3) « Ὅτι δὲ Δαμασκὸς τῆς Ἀῤῥαβικῆς γῆς ἦν καὶ ἔστιν, εἰ καὶ νῦν προσνενέμηται τῇ Συροφοινίκῃ λεγομένῃ, οὐδ' ὑμῶν τινὲς ἀρνήσασθαι δύνανται. » Tillemont quidem putat Ptolemæum atque Justinum conciliari posse, ponendo Justinum hæc verba post Ptolemæum scripsisse, quod quidem concedi licere negat Poinsignon, quippe qui apertissime dialogum S. Justini circiter anno 150 scriptum fuisse, annum autem ipsum in quo Ptolemæus geographiam confecerit definiri non possibile esse demonstret. Quod quidem Justini testimonium alioqui confirmant Tertulliani ac Suidæ verba. Prior enim dicit : « Damascus Arabiæ retro

(1) Lib. II, Cap. 7. « Συρίας ἡγεῖτο πάσης, πολλὴ δὲ ἦν καὶ μεγίστη ἀρχὴ τότε, τοῦ δὴ Φοινίκων ἔθνους παντὸς καὶ τῆς μέχρις Εὐφράτου γῆς ὑπὸ τῇ Νίγρου ὄντων ἐξουσίᾳ. »

(2) P. 50.

(3) Just. op., in dial. adv. Tryph., cap 78.

« reputabatur, antequam transcripta esset in Syro-
« Phœnicen, ex distinctione Syriarum. » Posterior
autem : « Παῦλος, Τύριος ῥήτωρ...., ὃς ἐπὶ Ἁδριανοῦ τοῦ
βασιλέως πρεσβεύσας μητρόπολιν τὴν Τύρον ἐποίησεν. » Quibus vero testimoniis innixus, Poinsignon contendere non dubitat jam inde ab Hadriani temporibus Phœnicen a Syria separatam fuisse. In quo cum eo consentimus ; at, ut nobis videtur, non hanc quæstionem prorsus enucleavit, neque satis distincte novæ illius provinciæ statum definivit.

Ab Hadriani temporibus, Syria in tres provincias maxime distinctas separata fuit, Cœlesyriam scilicet, vel Syriam magnam, vel etiam Syriam majorem, cui metropolis erat Antiochia ; Syriam Phœnicen, quæ in tres partes distributa erat, quibus singulis erat sua metropolis ; denique Syriam Palestinam, cui metropolis erat Cæsarea. Jam de Syria Cœle ejusque metropoli diximus. Nunc transeamus ad Syriam Phœnicen ac Syriam Palestinam. In Syria Phœnice, tres metropoles reperimus, quæ sunt : 1° Tyrus, quæ, quamvis jam antea metropolis dicta esset (1), tantum sub Hadriano in actis publicis hoc titulo signata fuit (2), quæque, nisi excipias Heliogabali tempora (3), usque ad quintum seculum illum titulum retinuit (4) ; 2° Damascus, quæ ab Hadriano quin-

(1) Strabo, XVI, p. 521. In nummo Claudii Tyrus dicitur metropolis eodem sensu quo Heraclea Bithyniæ, non provinciæ, ipsius autem coloniarum respectu. — Eckhel, *D. N.*, III, p. 386.

(2) Suid., II, p. 147, ed. Bernh.

(3) Sub. illo imp. Sidon Tyri locum occupavit. Eckhel, *D. N.*, III, p. 387.

(4) Inscript. ann. 174 p. Chr., in Grut., 1105, 3 ; Eckhel,

que urbium metropolis fuit (1); 3° Palmyra, quæ colonia juris italici erat (2).

Syria Cœle (3) et Syria Phœnice (4) a legatis Aug. pro pr. jam antea regebantur; Syria Palestina autem solum ab Hadriani temporibus legat. Aug. pr. pr. habuit, quæ antea a procuratoribus, qui Syriæ legatis parebant, administrata est (5).

Infra dicemus de celeberrima illa Judæorum rebellione quæ sub Hadriano orta est, atque de consiliis asperrimis quibus adversus hanc gentem usus est hic imperator. At, dum Syria Palestina adeo vastabatur ac tot cædibus replebatur, Palmyra, ditissima e tribus Syriæ Phœnices metropolibus, meliori fortuna fruebatur, atque ad fastigium opulentiæ pergebat. Quid autem potius nobis agendum est quam de hac re ea afferre quæ scripsit Heeren, vir ejus materiæ peritissimus, in *Comm. Soc. Gœtting.*, t. VII, in diss. *De commerciis urbis Palmyræ vicinarumque*

Doctr. N. V, p. 387 sqq.; Spanh., *De usu et præst. numm.*, II, p. 611.

(1) S. Just. loc. laud. Tert. ad Marc., III, 13; loc. laud. et adv. Jud., c. 9. Cf. Norisium, *De Ep. Syromac*, p. 372; Eckhel, *D. N.*, III, p. 331-333.

(2) Ulp., Dig., lib. L, 15, 1, § 5. « Est (colonia juris italici) et Palmyrena civitas in provincia Phœnice. Palmyræ commorabatur procurator Cæsaris. » *C. I. Gr.*, 4485. « Ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος Σεπτίμιον τὸν κράτιστον ἐπίτροπον Σεβαστοῦ δουκηνάριον, κρεωδότην τῆς μητροκολωνείας. » 4496, 4497, 4498, 4499.

(3) *C. I. Gr.*, 3548, 4529, 4616; Orelli, 3128.

(4) Murator, 2009, 1, 2. — Marini, *Atti*, p. 744. — Mommsen, *Berichte d. Leipz. gesellsch. d. Wiss.* 1850, p. 223.

(5) Marini, *Atti*, II, p. 751, not. 128; *C. I. Gr.*, 4029, 4601, 4661, 4585. Titulus 4033 testatur hanc provinciam anno 131 nondum a legato administratam esse.

urbium ex monumentis et inscriptionibus illustratis? Hæc sunt : « Palmyra, inquit Plinius, VI, 21, pri-
« vata sorte utitur, inter duo imperia summa, Ro-
« manorum Parthorumque, et prima in discordia
« utrinque fuit. Immutatus tamen esse videtur urbis
« status non longe post Plinium. Perventum jam
« enim ad ea tempora quæ, quod monumenta do-
« cent, longe felicissima urbis hujus fuere. Quæ
« enim adhuc supersunt ejus rudera pertinent tan-
« tum non ad Antoninorum sæculum, id est ad re-
« gnum Hadriani, utriusque Antonini; ac inde us-
« que ad ultima Palmyræ fata, Aureliano imperante.
« Quæ fuerit sors Palmyræ sub Trajano scriptores
« annotare neglexerunt. Cum tamen legimus ab
« Hadriano, successore ejus, eam restitutam esse
« (Steph., *De urb. voc.* Πάλμυρα), adversos fortunæ
« casus sub illo experta esse videtur, vel bellorum tur-
« bis, quorum theatrum ultimis Trajani annis Syria,
« Mesopotamia, cum Arabia, erant; sive terræ moti-
« bus, qui tunc Antiochiam et alias Syriæ urbes vas-
« tabant. Hadrianum autem eam restituisse non mo-
« do, sed urbem ab eo Hadrianopolim vocatam esse,
« quod tamen nomen postea evanuit, annotatum le-
« gimus apud Steph., l. c. In inscriptionibus Ha-
« driani nomen bis occurrit (in *Ruins of Palmyra*,
« n° XX, et apud Seller, n. 18, p. 363, *Antiq. et*
« *hist. of Palmyra*, appendix; Lond., 1696). Disci-
« mus ex una Hadrianum urbem adiisse ac solem-
« niter receptum esse. Inscriptio enim posita est in
« honorem Malech cujusdam, Agrippæ quoque dicti,
« qui hac occasione in magno hospitum confluxu
« balneis publicis proprio sumptu unguenta suppe-
« ditaverat. Altera non in ipsa urbe, sed in templo

« muhamedano in vicinia reperta est, quæ comme-
« morat Abylenum quemdam decapoliten, qui, anno
« Seleucidarum 445 (post Chr. 133), pro salute Ha-
« driani eam aram ædificaverat, ac pulvinar seu
« lectisternium paraverat. Omnino vero, si quæ-
« rimus quomodo factum sit ut sub Antoninis splen-
« dor urbis adeo cresceret, declarabitur hoc quo-
« dammodo, si meminerimus, qualis fuerit provin-
« ciarum Asiæ sub iis status. Cum enim Hadrianus
« provincias a Trajano Parthis ereptas sponte iis
« redderet, secuta est inter Parthos et Romanos post
« longa bella tranquilla rerum conditio, quæ post
« Hadrianum per omne quoque Antonini Pii re-
« gnum, adeoque plus quam quadraginta annis du-
« ravit. In longa autem hac periodo pacis quoque
« artes excultas, monumenta splendidissima condita
« esse, in primis vero commercia Asiæ, cum jam
« per imperii parthici provincias mercatorum agmi-
« nibus transitus pateret, floruisse, jam in commen-
« tatione de Ptolemæi fontibus a me declaratum est.
« Quod ad Palmyrenos attinet, pro fundo hic po-
« nenda sunt Plinii et Appiani testimonia (App., *B.
« C.*, l. 5) supra jam adducta, quibus probavimus
« Palmyrenos magna ex parte mutua Orientis et
« Occidentis commercia in manibus habuisse, cum
« arabicas et indicas merces Romanis et Parthis af-
« ferrent. »

CAPUT XI.

De urbibus atque monumentis in provinciis ab Hadriano exstructis (1).

Constat ex Spartiano multas civitates de suo nomine appellavisse Hadrianum, vel a fundamentis excitasse, vel in ampliorem formam redegisse, ut inditum nomen fidem facit. « Multas civitates, ait « Spartianus (2), Hadrianopolis appellavit, ut ipsam « Carthaginem et Athenarum partem. » Præter duas illas urbes, quæ, ut videtur, tantum ad tempus hoc nomine signatæ sunt, multæ sunt aliæ, quarum placet nomina referre. Tres autem sunt in Europa, ac primum ante omnes in Thracia, Hadrianopolis, deinde in Chers. Thrac., Cœla, ac denique in Vindelicia, Augusta Vindelicorum, quæ apud Orell. Ælia nuncupatur.

Fuerunt autem in Asia urbes Hadriani nomine decoratæ plures, quæ sunt : in Ponto, Amasia ac Neocæsarea ; in Bithynia, Hadriani, Ἁδριανοὶ πρὸς Ὄλυμπον vel ἐν Ὀλύμπῳ, in parte occ. Bithyn., haud procul a Rhyndaco ac finibus Mysiæ ; Hadrianopolis, postea Honoriadi tributa, haud procul a ripa sinistra Parthenii ; Bithynium, patria Antinoi ; Cius ; in Mysia,

(1) Mannert; Ukert; Pauly, *Real. Encyclop.*, t. 3, voc. Hadrianus ; Bischoff et Möller, *Vergleichendes Worterbuch der alten geographie ;* Eckhel, *Doct. N. V. ;* Rasche, *Lexicon rei nummariæ ;* Hirt, *Gesch. d. Bauk. ;* Greppo, *Voyages d'Adrien expliqués par les médailles.*

(2) C. 20.

Cyzicus, Hadrianotheræ, aut, diviso nomine, Hadriani Theræ, urbs ab Hadriano condita et a studio venationis dicta, inter Miletopolim et Pergamum; Parium; in Ionia, Smyrna; in Caria, Hadrianopolis, ab Hadriano instaurata, ut refert Stephanus, cujus tamen vetus nomen Stratonicea prævaluit; in Cilicia, Adana, Ægæ, Diocæsarea, Mopsus, Tarsus; in Phrygia, Philomelium; in Lycaonia, Iconium; in Syria Palestina, Ælia Capitolina.

In Africa autem erant: in Cyrenaica, Ἁδριανή vel Hadrianopolis, Teuchiram inter et Berenicen; in Byzacio, Thena; in Numidia, Zama; in Ægypto, Antinoopolis, quam, ut memoria Antinoi illius famosissimi, quem maxime diligebat, servaretur, exstruxit, quamque multis atque magnificis monumentis adornavit, de quibus vide Hirt, *Gesch. d. Bauk. d. alten;* in Arabia denique, Petra et Bostra.

Quod pertinet ad innumera omnis generis monumenta quæ noster imperator in diversis imperii romani partibus ædificanda curavit, non in mente habemus ea omnia singillatim ac fusius dinumerare atque describere, quod quidem, nostra sententia, multo magis ad artis architectonicæ historiam attinet; tamen haud a proposito alienum videtur hic addere compendiariam præcipuorum illorum recensionem.

Ac primum de provinciis occidentalibus agamus. In Gallia, Nemausi, in Plotinæ honorem, ex Spartiano basilicam, ex Dione autem templum ædificari jussit Hadrianus (1). In Hispania, Tarracone, ædem Augusti sumptibus suis restituit. De monumentis

(1) Sp., c. 12. Nonnulli putant *Pictaviorum Amphitheatrum*, vulgo Gallieno adscriptum, ab Hadriano exstructum fuisse. Vid.

Romæ ab eodem aut instauratis, aut exstructis, sic ait Spartianus (1) : « Instauravit Pantheum, Septa, « (2) basilicam Neptuni, sacras ædes plurimas, fo- « rum Augusti, lavacrum Agrippæ ; eaque omnia « propriis et veteribus nominibus consecravit. Fecit « et sui nominis pontem, et sepulchrum juxta Tibe- « rim (3), et Ædem Bonæ Deæ transtulit, et Colos- « sum (4) stantem atque suspensum per Detrianum « architectum de eo loco, in quo nunc *Templum Ur- « bis* (5) est, ingenti molimine, ita ut operi etiam « elephantes XXIII exhiberet. » Pomœrium quoque restituit Hadrianus, ut testatur inscript. ap. Grut., 198, I.

Ast, inter opera quæ noster imperator in Italia exstruxit, primum sane locum obtinet *Villa Tibur-*

L'Amphithéâtre romain, ou Les Arènes de Poitiers, par M. Bourgnon de Layre. Poit., 1844, in-8, fig. et atlas. Quod pertinet ad monumenta quæ adhuc exstant sive Nemausi, sive in regione vicina, quæque a nonnullis Hadriano tribuuntur, vid. *Lettres sur Nîmes et le midi, ou Histoire et description des monuments antiques du midi de la France, par J.-F.-A. Perrot, antiquaire*, 2 vol. in-8, 1840.

(1) C. 19.

(2) In *Septis*, reipublicæ liberæ temporibus, centuriæ suffragia dabant. Hadriani autem ætate, eadem pro macello erant.

(3) Hic agitur de mausoleo quod vulgo nuncupatur Moles Hadriani, hodie Château Saint-Ange.

(4) Hunc Colossum, Zenodori opus, Neroni primum, dein Soli dicatum, incendio autem Neronis ædis deformatum, instauraverat Vespasianus.

(5) Illius templi, magnitudine æque ac magnificentia insignis, formam ipse Hadrianus delineaverat, quam quidem quia liberius vituperaverat, Apollodorus, architectus ea ætate præstantissimus, nostri imperatoris jussu extremo supplicio affectus est.

tina, in qua uno, ut ita dicam, obtutu omnia mirabilia mundi opera complecti licebat. Hic enim Hadrianus ædificaverat Lyceum, Academiam, Prytaneum, Pœcilen, templum denique Jovis Olympii. Ad radicem collis, ut inferos fingeret, quatuor vias subterraneas effoderat. Haud procul patebant Elysii : duos autem rivulos prope fluentes Cephisum et Ilissum nominaverat. Vallis profunda, quæ inter urbem Tibur et Hadriani palatium jacebat, quamque interfluebat rivulus admodum saxosus, Tempe vocabatur. Canopi quoque, qui philosophiæ atque voluptatum in Ægypto sedes fuit, memoriam revocabat templum Serapidis, in quo cernebantur multæ statuæ artem ægyptiacam pro temporibus variam referentes; neque deerat alveus urbi Canopo vicinus. Denique passim reperiebantur innumeræ deorum atque heroum imagines, præsertim Antinoi (1); duo theatra, quorum alterum græcum, alterum erat latinum, ubi cujuslibet generis fabulæ agebantur; bibliotheca, porticus sectilibus pavimentis decoratæ; lavacra, naumachia magnitudine conspicua ac marmore fulvo distincta; aquæ mirum in modum ex alto labentes, horti omnis generis omniumque regionum plantis referti, etc. Cuncta autem mirabilia illa opera vetustas deformavit: « Quos picti tapetes et intexta auro aulæa « muros texere, nunc hedera vestit, sentes et rubi cre- « vere ubi purpurati consedere tribuni, et imperatorum « cubicula serpentes inhabitant, adeo fluxa est morta- « lium natura rerum (2) », ita ut vix agnoscere possis

(1) Konrad Levezow, über den Antinous, dargestellt in den Kunstdenkmälern des alterthums. Berlin, 1808.

(2) Pii II pontif. Comment. rer. memor., lib. v, p. 138.

Hadriani palatii atque Pœciles muros, alterutrius theatri scenam, Canopi alveum, ac nonnullas templi Serapidis cellas, in quibus statuas ægyptiacas videre erat (1).

Transeamus ad orientales provincias, in quibus plura monumenta exstruxit Hadrianus. Urbes Nicæam et Nicomediam terræ motu eversas instauravit. Cyzico quoque impensius favit, exstructo ibi in ipsius honorem templo magnifico, constitutis in singula quinquennalia certaminibus, quæ Hadriana Olympia dicebantur, et Hadrianæ nomine urbi ipsi concesso. Quæ res præcipua causa fuit cur eum Cyziceni tertium decimum deum appellaverint. Trapezunte, ut ab Arriano accepimus, portum exstruendum curavit. Antiochiam quoque, ut docet fusius Malala, maximis operibus adornavit. Ab eodem discimus nostrum imperatorem Colossum Rhodiorum terræ motu quassatum instauravisse. Stratoniceæ, Palmyræ, atque in multis aliis urbibus, theatra, lavacra, gymnasia, aquæductus, exstrui jussit. Urbem Smyrnam, petente Polemone sophista, semel ingenti pecunia donavit, cum qua multa et maxima opera Smyrnæi exstruxerunt.

Græciam autem, illud optimarum artium domici-

(1) De Villa Tiburtina atque egregiis artis operibus in ea repertis vid. Winkelman; Hirt, *Gesch der Bauk.*; Sainte-Croix, *Dissertation sur le goût de l'emp. Adrien pour la phil., la jurispr., la littér. et les arts*, *Mém. de l'Acad.*, t. XLIX, p. 443-452; *Iconographia Villæ Tiburtinæ Hadr. Cæs. olim a Pyrrho Ligorio delin. et descr., postea a Fr. Continio recogn.*, Rom., 1751; *Vue de la villa d'Adrien, publ. par D. Palmucci, arch. rom., et dédiée au pape Pie VI, expl. par M. Fauris Desnoyers*, *Mag. encyclop.*, t. IV, p. 366; Ant. Nibby, Descrizione della villa Adriana Roma, 1827, in-8; *Ampère*, *L'hist. rom. à Rome*, *Revue des Deux-Mondes*, 15 mars 1857.

lium, sicut principem litterarum amantissimum decebat, innumeris monumentis exornavit, de quibus multa nobis documenta suppeditat Pausanias. Athenis quidem, quibus maxime favit, Jovis Olympii templum perfecit, quod a Pisistrato incœptum fuerat; cujus operis confecti gratia, Athenienses Hadrianum titulo Olympii donaverunt, qui titulus legitur sive in marmoribus, sive in nummis Cyzici, Ephesi, Laodiceæ Phrygiæ, multarumque aliarum urbium. Præter illud opus, exstruxit quoque duo templa, quorum unum Junoni, alterum Jovi Panhellenio dicatum, Pantheum, Porticum, gymnasium cum magnitudine tum magnificentia præstantissimum, bibliothecam; in parte denique Athenarum, quæ dicebatur *Novæ Athenæ*, aquæductum, quem perfecit Antoninus. Quorum beneficiorum memores, in honorem ejus principis arcum triumphalem erigendum Athenienses curaverunt. Quod ad ceteras Græciæ urbes pertinet, notare debemus Corinthum, ubi lavacra confici jussit; Megaram, ubi in honorem Apollinis e marmore templum excitavit, et qua non procul viam Scironiam instauravit et eo usque dilatavit ut per eam agi possent duo obvii currus; Mantineam denique, cui maxime favit, quia traditum erat Mantineenses in Bithyniam, Antinoi patriam, olim coloniam deduxisse.

De monumentis ab Hadriano in Ægypto exstructis hæc scripsit Champollion-Figeac : « Hadrien, ami « des arts, laissa en Égypte des traces nombreuses « de son goût et de la protection qu'il leur accordait. « Le pronaos du temple d'Esneh, le temple au nord « de cette ville, les édifices de Denderah, une des « portes de Medinet-Habou, à Thèbes, le sanctuaire « du temple au sud de l'hippodrome, et l'obélisque

« qui est aujourd'hui au Monte-Pincio, à Rome, sont « des ouvrages de son règne, et cet obélisque porte « à la fois le nom d'Hadrien, celui de l'impératrice « Sabine et celui d'Antinoüs. » Curavit quoque, ut docet Spart., instaurandum Pompeii tumulum (1).

CAPUT XII.

De civitatibus (2).

In orbe romano, ætate Antoninorum, tria civitatum genera erant, quorum primum ad *civitates liberas*, quæ patriis institutis regerentur, pertinebat, secundum ad civitates quæ sive magistratibus, sive etiam legibus romanis uterentur; tertium denique ad ceteras civitates, quæ, nullis privilegiis fruentes, in ditione præsidum remanerent. Quæ fuerit, circa

(1) *Egypte ancienne*, *Univ. Pitt.* Apud nonnullos recentiores historicos legitur Hadrianum Nili fossam a superioribus impp. neglectam instauravisse, quam quidem opinionem refellit Letronne in *Revue des Deux-Mondes*, 15 juillet 1841 : *L'isthme de Suez, le canal de jonction des deux mers sous les Grecs, les Romains et les Arabes.*

(2) Spanhemius, *Orbis romanus ;* Naudet, *Des changements opérés dans le gouvernement de l'empire romain sous Dioclétien et Constantin*, t. I ; Egger, *Examen critique des historiens du règne d'Auguste*, app. II, *Recherches nouvelles sur l'histoire des institutions municipales chez les Romains ;* Becker, *Handbuch d. röm. alterthümer*, th. III, von J. Marquardt, Italien und die Provinzen.

Hadriani tempora, diversarum illarum civitatum conditio breviter exponamus.

Romani quidem, quum post victoriam civitatibus libertatem olim concederent, id in primis sibi propositum habebant ut, animis novæ dominationi ita assuefactis, regionem expeditius, quando opportunum tempus videretur, in provinciam redigerent. Verum ætate imperatorum, postquam totus orbis romanus in provincias fuit distributus, anceps facta fuit liberarum civitatum conditio. Tunc enim imperatores rebus earum administrandis in dies etiam atque etiam sese immiscere atque ita sensim easdem ceteris civitatibus adæquare conati sunt. Cujus quidem consilii, circa Trajani atque Hadriani tempora, complura testimonia supra attulimus, quum de consularibus in Italia ab Hadriano institutis egimus. Quæ quidem confirmat hæc inscriptio : *P. Pactumeio... Procos. In. Achaia.... Legato. Divi. Hadriani. Athenis. Thespiis. Plateis. Item. In. Thessalia. Prætori. Urbano. Legato. Divi. Hadriani. Ad. Rationes. Civitatium. Syriæ. Putandas. Legato. Ejusdem. In. Cilicia...* (1).

Nunc transeamus ad ejus generis civitates quæ sive magistratibus, sive etiam legibus Romanorum uterentur, colonias scilicet, municipia, atque civitates juris Latii. Quod ad rerum publicarum in his civitatibus administrationem pertinet pauca dicenda habemus. Namque, nisi civitates græcas excipias, apud omnes eadem erat. Etenim, sive in municipiis, sive in coloniis, sive in civitatibus juris Latii, eadem ma-

(1) *Inscript. lat. select. ampliss. coll.*, vol. tert. ; edidit Guilielmius Henzen, 1857.

gistratuum nomina reperiuntur. In omnibus civitatibus occurrit ordo decurionum, cui præsunt *duumviri* aut *quatuorviri*. Ex quo autem, lege Petronia, ann. 19 post Chr. nat. lata, in municipiis et coloniis, sicut Romæ, a populo ad curiam comitia translata fuerant, omnes magistratus municipales a decurionibus electi erant, ipsi autem decuriones ex iis qui vel justum censum possiderent, vel munus in civitate gessissent, delecti a quinquennalibus. Hæc satis de magistratibus municipalibus, qua de re fusius disserere a nostro proposito alienum est (1). Quæ autem ad Hadriani tempora peculiariter attinent videamus.

Exstat epistola Frontonis ad amicum qua satis plane ostenditur qualis fuerit iis temporibus decurionatus status (2). Nos ea docet, inter alia, Antoninorum ætate, tantum abfuisse ut, quemadmodum postea, pro onere decurionatus haberetur atque ab omnibus recusaretur, ut contra maxime peteretur illiusque obtinendi causa magnæ impensæ agerentur. Præterea Hadriani rescriptum, in Dig., lib. L., tit. XIII, § 6, testatur imperatorem potestate sua aliquando usum esse non ad augenda, contra autem ad levanda onera quæ municipiis incumberent. Ita est : « Si cui res-« publica necessitatem imposuerit statuarum prin-« cipi ponendarum, qui non promisit, non esse ei « necesse obtemperare. »

Alia autem parte, non ita pauca suppetunt testimonia ex quibus manifestum est, Antoninorum

(1) Marquardt, *Die municipal Verfassung*, p. 347-383; Zumpt., *Comm. epigr.*, 1850, in-4.

(2) *Epist. M. Aur. et Front.*, ed. A. Cassan, 2 vol. in-8, t. 2, p. 20.

ætate, quod ad rem municipalem pertinet, sicut in aliis rebus, principem magis ac magis ad se omnia traxisse atque in id intendisse ut civitatum privilegia infra statuta imperialia poneret. XII leg. cautum erat ne quis corpus cremaret inhumaretve in urbe, quam quidem interdictionem ad omnes civitates extendi voluit Hadrianus. In hunc modum ait Ulpianus : « Divus Hadrianus rescripto pœnam statuit quadra- « ginta aureorum in eos qui in civitate sepelirent et « in magistratus eadem qui passi sunt, et locum pu- « blicari jussit et corpus transferri. » Ad hæc idem Ulpianus adjungit : « Quid tamen si lex municipalis « permittat in civitate sepeliri ? Post rescripta prin- « cipalia an ab hoc discessum sit videbimus ? *Quia* « *generalia sunt rescripta, et oportet imperialia sta-* « *tuta vim obtinere et omni loco valere* (1). » Præterea a Trajani temporibus sæpissime municipalium redituum cura mandata fuit uni ex decurionibus ab imperatore designato, quique vocabatur *Curator Reipublicæ* (2). Denique, ut imperatori adularentur, suam libertatem ipsa municipia aliquando labefactabant, quippe quæ sive imperatori ipsi, sive uni ex ejus familia, municipalia quædam munera deferrent. Spartianus (3) nos docet Hadrianum in Etruria præturam egisse, per latina oppida dictatorem et ædilem et duumvirum, Neapoli demarchum, in patria sua et pariter Adriæ quinquennalem, Athenis denique archontem fuisse (4).

(1) Fragm. Ulp., ap. Schult., *Jurispr. antejust.*, in-4.

(2) Orelli, 3898 : *P. Clodio.... Curat. Reip. Bergam. Dat. Ab. Imp. Traj. Cur. Reip. Comens. Ab. Imp. Hadriano.*

(3) C. 19.

(4) « Eo anno quo et optimus imp. Hadrianus Augustus etiam

Quæ quum ita sint, apud jurisconsultos mentio occurrit nonnullorum beneficiorum ab Hadriano in municipia collatorum, de quibus tacent historici. Eos qui in numero decurionum erant capite puniri vetuit, nisi qui parentem occidissent (1). Jam antea, Trajano imperatore, senatusconsulto Aproniano institutum fuerat ut civitatibus fideicommissæ hæreditates restitui possent ac deberent. Quin etiam paulo post eis concessum fuit ut hæreditates ipsas caperent. Hadrianus etiam, quod ad id pertinet, civitatum privilegia amplificavit, quo auctore senatusconsultum datum est quo diligentius constitutum fuit, quod a Nerva introductum fuerat, nempe ut civitatibus omnibus quæ sub imperio populi romani essent legari posset (2). Neque vero mediocriter civitatum onera imminuit noster imperator *cursum fiscalem* instituendo. Augustus quidem vehicularium cursum instituit, sic ut, adveniente derepente eo cui cursus usurpandi jus datum esset, magistratuum municipalium opera animalia præberentur, quæ a provincialibus derepente conquirebant. Ergo grave admodum id munus fuit magistratibus civitatum. Quam et ideo vehiculationem Nerva Italiæ remisit, testibus ejus nummis. Mox Hadrianus, teste Spartiano, c. 7, « statum (3) cursum fiscalem instituit, ne magis- « tratus hoc onere gravarentur ». Qui quidem locus

duumviratus honorem suscepit. » Hic de Minturnis agitur. *Coll. inscript Neapol.*, Mommsen, 4059.

(1) Dig., lib. XLVIII, tit. XIX, 15.

(2) Ulpian. Fragm., XXIV, 28, ap. Schult., *Jus antejust.* Cf. Bach, *Divus Trajanus, sive De leg. Traj. imp. commentarius.* Lips., 1747.

(3) Male *statim* pro *statum* habent omnes fere Spartiani edi-

intelligi debet tantum de procuratione cursus publici, non de sumptibus, quos, ut antea, magistratus seu curiales toleraverunt.

« Ab Hadriano, ait Spanhemius, multa quidem in « socias atque subjectas romano imperio urbes col- « lata leguntur beneficia, quibus ille eas magnifice « juverit, sed nulla nominatim datæ iis civitatis « facta mentione; nisi referri illuc debeat quod, « ubi ea de re agit Dio, honoribus etiam haud minus « ac ornamentis aliis easdem urbes ab illo principe « auctas et locupletatas tradit (1) : Πολλὰς μὲν γὰρ « εἶδεν αὐτῶν, ὅσας οὐδεὶς ἄλλος αὐτοκράτωρ, πάσαις δὲ, « ὡς εἰπεῖν, ἐπεκούρησε, ταῖς μὲν ὕδωρ, ταῖς δὲ λιμένας, σῖ- « τόν τε καὶ ἔργα, καὶ χρήματα, καὶ τιμὰς ἄλλαις ἄλλας « διδούς, nempe aliis, ut arbitrari licet, civitatem; « aliis demum jus Latii (2), vel immunitatem; quæ « duo postrema in eo principe tangit Spartianus : « Latium multis civitatibus dedit, tributa multis re- « misit. »

Ast, inter diversi generis civitates quæ in orbe romano erant, nullæ procul dubio majori in honore sub Hadriano fuerunt quam eæ quæ coloniæ dicebantur, quibus maxime favit noster imperator et quarum eo tempore sive auctarum, sive conditarum

tiones. *Statum* proposuit Juretus, quem secutus est Gothof, Cod. Theod., t. II, p. 526.

(1) Lib. LXIX, 5.

(2) Ex quo civitas toti Italiæ data fuerat, nonnisi ad exteras regiones jus Latii pertinebat. Ii qui jure Latii fruebantur, neque jura Quiritium, neque tributi immunitatem habebant, illud autem privilegium sibi vindicabant, nempe quod, postquam in civitate munus gessissent, civitatem romanam adipiscebantur.

numerus, nisi excipias Augustum, multo major quam sub imperatoribus superioribus exstitit.

Illud sibi peculiare habuisse videntur municipia ut suis moribus suisque legibus uti possent, quod quidem testatur hic locus Gellii (1) : « D. Hadrianus, « in oratione quam de Italicensibus, unde ipse ortus « fuit, in senatu habuit, mirari se ostendit quod et « ipsi Italicenses, et quædam item alia municipia an- « tiqua, in quibus Uticenses nominat, quum *suis* « *moribus legibusque uti possent*, in jus coloniarum « mutari gestiverint. » Solæ autem, ut ex omnibus testimoniis sive scriptorum, sive lapidum, liquet, *libertatis, immunitatis* ac simul *juris italici* coloniæ participes fieri poterant. Ex quo consecutum est ut, impp. ætate, coloniarum quam municipiorum potior habita fuerit conditio. Inde quoque Plinius, dum diversi generis provinciales civitates recenset, post colonias municipia notat. Quod ad magistratus pertinet, iidem fuisse videntur, ut jam diximus, sive in coloniis, sive in municipiis. Itaque, ut hodie inter eruditos convenit, in tribus privilegiis *libertate* scilicet. *immunitate* atque *jure italico*, inter colonias et municipia maximum discrimen positum fuit. Quo autem spectarent illa singula privilegia paucis verbis enodemus.

Libertas quidem nonnisi ad reipublicæ administrationem pertinuisse videtur. Namque nos docet Plinius (2) coloniam Apameam « habuisse privilegium « et vetustissimum morem arbitrio suo rempubli- « cam administrandi ». Ex Tacito autem discimus

(1) Lib. xvi, 13.

(2) *Ep.*, x, 56.

eamdem coloniam tributum persolvisse (1). Quod ad immunitatem spectat, distinguendæ sunt immunitas tributi soli atque immunitas tributi capitis, quod quidem testatur hic locus jurisconsulti Pauli, in Dig., lib. L, tit. XV, 8, 7 : « Divus Vespasianus Cæsarienses « colonos fecit, non adjecto ut et juris italici essent, « sed tributum his remisit capitis; sed Divus Titus « etiam solum immune factum interpretatus est. » Ex quibus verbis perspicuum est primum colonos posse tributi capitis esse immunes, non autem ideo tributi soli, nisi nominatim imperator cavisset (2); dein, quia coloni tributi capitis et soli essent immunes, non idcirco jure italico frui. In quo autem positum esset jus illud italicum maxime inter se dissident eruditi. Cum Chr. Savigny putamus eos colonos, qui jure italico fruerentur, libertatem et immunitatem habuisse atque insuper nonnulla privilegia, quibus soli cives romani uterentur, sicut *perfectum dominium*, *usucapionem*, *in jure cessionem*, *mancipationem* ac denique *vindicationem*.

Hadrianus autem primus videtur vel morem invenisse, vel sæpius usurpasse, quo civitates insigniores in provinciis, nullis novis colonis deductis, titulo ac jure coloniis æquipararentur. Quod quidem consilium, nostra sententia, in primis ad id spectabat ut, numero coloniarum amplificato, quæ legibus romanis utebantur, illa imperii romani unitas,

(1) *Ann.*, XII, 58.

(2) Notandum est omnes civitates provinciales, vel liberas, nisi eo nominatim vacarent, tributo obnoxias fuisse; inde *civitatum liberarum* aliæ dicebantur *liberæ*, aliæ *liberæ et immunes*.

quam antea J. Cæsar, Augustus, omnes denique præstantissimi imperatores, sibi propositam habuerunt, maturaretur. Idem quoque multis in provinciis, quæ barbarorum incursionibus expositæ erant, veras colonias condidit. Hæ sunt præcipuæ utriusque generis coloniæ ab Hadriano conditæ.

In titulo anno 159 p. Chr. posito, apud G. Orelli, 3062, commemoratur colonia Ælia Augusta Felix Mediolanensis : propter hæc cognomina videtur ab Hadriano fuisse constituta. Nonnulla quoque alia vetera oppida italica, veteranis deductis frequentata, Hadriani temporibus, afferri possunt. Nominantur apud auct. incertum de coloniis : Lavinium; Ostia, de qua testis est titulus apud Grut., p. 249, 7; Lanuvium, de quo in libro col. sic est : « Postea imperator Hadrianus colonis suis agrum assignari jussit » ; Ardea, cujus ager ab Hadriano esse censitus dicitur, sive ut colonos in eo collocaret, sive ut tributi modum constitueret; Veii, Hispellum.

In Hispania nulla nova deducta est colonia, unum vetus oppidum, Italica scilicet, Trajani Hadrianique patria, coloniæ jure donatum.

De Gallia sic dicit Zumpt : « Latium multis civitatibus dedit (Hadrianus), ait Spartianus; quod ita interpretor ut ab eo universæ provinciæ Narbonensi majorique parti reliquæ Galliæ latinitatem datam esse censeam; tunc eæ civitates, quæ latinæ conditionis erant, vel nobiliores ex iis, ut par aliquod beneficium acciperent, civitate et coloniæ jure donatæ sunt. Illud certo est memorabile, quod quæ in Gallia a Ptolemæo nominantur coloniæ, eas præter unam omnes constat antea fuisse latinæ conditionis. His igitur rationibus ductus, complu-

« res colonias in Galliis ab Hadriano, non incolis « novis deductis, sed veteribus civitatibus novo « jure donatis, factas esse censeo, quæ sunt : Aquæ « Sextiæ, Cabellio, Nemausus, Tolosa, Acusium in « Cavaribus; Maritima, Avaticorum caput; Reii « Apollinares, Ruscino, Apta Julia ».

In Pannonia reperitur Mursa, quæ, cum a Plinio ignoretur, a Ptol. et in inscript. apud Orelli, 3281, colonia appellatur, et a Steph Byz. κτίσμα Ἀδριανοῦ vocatur.

Neminem fugit Hadrianum acriter pugnasse cum Judæis, in quorum terra, diruta vetere urbe Hierosolymis, ædificavit Æliam Capitolinam. Nummi multi ejus coloniæ testes sunt. Heliopolis Cœlesyriæ (Baalbeck) colonia dicitur in nummis qui ab Hadriano usque ad Gallienum exstant. Palmyra ab Hadriano coloniæ jus accepisse videtur, quippe quam et novis colonis auxerit, et a suo nomine Hadrianopolim appellaverit.

In Asia minore ab Hadriano conditæ videntur esse hæ coloniæ : Iconium Lycaoniæ, de quo nummus exstat in quo hæc inscriptio legitur : *Col. Æl. Iconien.*, cum imagine coloni arantis et duobus signis militaribus, quare non dubitat Zumpt quin ab Hadriano et denuo munita et coloniæ jure donata sit; Selinus, in Cilicia; Parium, vetus Augusti colonia, quæ in nummis post Hadriani tempora cusis cognomen habet H. vel Had., id. est Hadriana.

Hæ sunt coloniæ quas vel auctas vel conditas in africanis provinciis conjicit Zumpt. Utica, vetustissima ac nobilissima Africæ urbs, ab Augusto civitate donata fuit, atque inde a Plinio dicta *civium romanorum*. Eadem, ab Hadriano cum jus coloniæ

petiisset, impetravit, ut testatur inscriptio ap. Janssen., Inscr. Lug. Batav., p. 79, in qua appellata Col. Jul. Æl. Hadr. Aug. Utic., ex quibus cognominibus *Juliam* patet sumptum esse ab Cæsare vel Augusto, cetera ab Hadriano.

Zama, in titulo ap. Grut., p. 364, 1, posito ann. 322 p. Chr., appellatur *Colonia Ælia Hadriana, Aug. Zama Regia*, unde origo ejus certa est.

Thenæ, Byzacenæ regionis oppidum, in inscript. apud. Grut., p. 363, 3, posita ann. 321 p. Chr., *Colonia Ælia Augusta Mercurialis Thænitana* appellatur.

Lares, quæ ab Hadriano jure ac titulo coloniæ donata fuit, ut colligi licet ex hac inscriptione : *Divo. Antonino. Cæsar. Colonia. Ælia. August. Lares.* (1)

Hic nihil dicemus de civitatibus quæ nullis privilegiis utebantur. Illarum enim civitatum eadem fere ubique erat conditio : namque eæ tributo soli necnon capitis obnoxiæ in præsidum ditione omnino erant.

CAPUT XIII.

De statu personarum.

Ultimis reipublicæ liberæ temporibus, bellis civilibus omnia miscentibus, multi e servis vilissimis ac flagitiosissimis civitatem romanam adepti erant,

(1) D'Avezac, *Afrique ancienne*, *Univ. pitt.*

ita ut populus ille rex, qui toti orbi terrarum dominabatur, perditorum modo colluvie hominum constare videretur. Hinc autem malo remedium afferre voluit Augustus, qui, teste Suetonio, civitatem romanam parcissime dedit. « Magni præterea existimans Au-
« gustus, ait Suetonius, sincerum atque ab omni col-
« luvione peregrini ac servilis sanguinis incorruptum
« servare populum, et civitatem romanam parcissime
« dedit, et manumittendi modum terminavit (1)....
« Liviæ pro quodam tributario gallo roganti civita-
« tem negavit, immunitatem obtulit, affirmans : se
« facilius passurum fisco detrahi aliquid quam civi-
« tatis romanæ vulgari honorem. » Cujus quidem exemplum secuti sunt post eum imperatores usque ad Antoninorum tempora. Sub Tiberio lata est de libertinis lex Julia Norbana, Jun. Silano et L. Norbano Balbo coss., p. Chr. 19, ut ii servi, qui neque censu, neque vindicta, neque testamento, sed aut per epistolam, aut inter amicos, aut convivii adhibitione, liberi fierent, non cives romani, sed eodem jure quo latini coloni essent (2).

Hadrianus autem primus, ut Gaius docet, novam viam ingressus est atque in eo elaboravit ut largius

(1) Anno IV p. Chr. de manumissis legem Æliam tulere Sex. Ælius, C. Sentius, coss., de qua vid. Gaium, lib. I, IV, § 13, 14, 15. De eadem re legem, anno VIII p. Chr., tulere T. Furius Camillus et C. Caninius Gallus, coss., de qua vid. Gaium, lib. I, § 42.

(2) Horum libertorum, qui Latini Juniani dicebantur, legitimæ successiones nullæ erant, ita ut vere dictum fuerit a jurisconsultis « eos ut liberos vitam suam peragere, attamen ipso ultimo spiritu simul animam atque libertatem amittere ». Vid. Gaium, lib. III, § 56. Cf. Vangerow, *Ueber die Latini Juniani*. Marb., 1833.

ad civitatem romanam iter pateret (1). Idem imperator ut servi humanius tractarentur diligentissime cavit. Omnibus notæ sunt humaniores in servos Claudii imp. leges, quibus primum dominorum crudelitas refrenata est. At nonnisi altero seculo p. Chr., a Nervæ temporibus, edictis in dominos frequentioribus et gravioribus latis, servorum conditio, non opinione solum, legibus autem certis, in melius conversa fuit (2). Ac primum apud Spartianum legimus : « Ergastula servorum et liberorum tulit (3). » Ergastula autem, ut neminem fugit, dicebantur horrendi illi carceres in quibus non solum servi, sed etiam liberi homines, sive spontanei, sive sacramenti quidem metu, aut inopia deperditi, atque a divitibus suscepti, sive per agros rapti, opus faciebant (4). Veri autem simile est Hadrianum non omnino sustulisse ergastula servorum, quæ post eum permanserunt, nefandissimum autem illum usum liberos homines rapiendi atque in hos carceres conjiciendi lege prohibuisse. Servos, ut docet Spartianus (5), a dominis occidi vetuit, eosque jussit damnari per judices, si digni essent. Umbriciam quamdam matronam in quinquennium relegavit, quod ex levissimis causis

(1) Lib. I, § 30, 77, 80. Lib. III, § 72.

(2) Si quis omnia quæ pertinent ad servorum conditionem apud veteres pernoscere velit, is adeat præstantissimum illud opus in quo luculentissime atque doctissime de ea re disseruit H. Wallon, cuique titulus : *Histoire de l'esclavage dans l'antiquité*, 3 vol. in-8.

(3) C. XVIII. Hic male in plerisque editionibus *libertorum*.

(4) Suet., Aug., 32; Tib., 8. Cf. Goth., C. Th., t. II, p. 384.

(5) C. XVIII.

ancillas atrocissime tractasset (1). Non voluit tormenta in servos temere adhiberi, ut testatur ejus rescriptum (2). Denique a Spartiano accepimus Hadrianum senatusconsultum illud Silanianum, quo, quum dominus occideretur, de familia omni, quæ sub eodem tecto mansitaret, supplicium sumeretur, immutavisse. Ait in hunc modum : « Si dominus in « domo interemptus esset, non de omnibus servis « quæstionem haberi, sed de his qui per vicinitatem « poterant sentire, præcepit. »

CAPUT XIV.

De ærario et fisco.

Nihil maximi momenti, ut videtur, in vectigalium imperii ratione immutavit Hadrianus, quippe quæ ab Augusto usque ad Diocletiani tempora eadem fere permanserit. Quæ fuerint autem Augusti instituta ad reditus publicos spectantia hic fusius enarrare longum est atque a proposito nostro alienum. Memorabimus tantum veterem vectigalium populi romani rationem in primis in eo immutavisse Augustum : primum, quod omnia ea vectigalia in duas partes distribuit, quarum una ad ærarium, in quo reipublicæ vectigalia condebantur, altera autem ad fiscum, qui

(1) Dig., lib. I, tit. VI, § 2.
(2) Dig., lib. XLVIII, tit. XVIII, § 1.

principis erat, pertineret; dein, quod ab ea ætate, nisi Italicos excipias, omnes in provinciis agri tributum persolverunt, quia non amplius, sicut antea, personarum, agrorum autem solummodo ratio haberetur (1).

Constat inter omnes eruditos, quod ad imperii reditus attinet, Augusti opus maxime sub Antoninis impp. consummatum fuisse; sed haud dictu facile est num in eo aliquid peculiare sibi vindicet Hadrianus. Quæ quum ita sint, nos docet Spartianus imperii romani reditibus diligentissime Hadrianum consuluisse. Sic enim ait, c. 11 : « Reditus provinciales sollerter exploravit, ut, si alicubi quippiam deesset, expleret. » Atque infra, c. 20 : « Si potest credi, omnes publicas « rationes ita complexus est, ut domum privatam « quivis paterfamilias diligens non satis novit. »

Hæc fuit quoque laus nostri principis, ut et fere omnium Antoninorum, ut, dum imperii reditus maxime amplificaret, nonnullos tamen nefandissimos quæstus rejiceret. Atque enim, ut principem decebat qui majestatis crimina non admisit, damnatorum bona in fiscum privatum redigi vetuit, omni summa in ærario publico recepta (2). Quin etiam de quodam damnato, qui plures filios habebat, ita rescripsit : « Favorabilem apud me causam « liberorum Albini filiorum numerus facit, cum am- « pliari imperium romanum adjectione potius quam « pecuniarum copia malim. Ideoque illis paterna sua « concedi volo (3). » Liberis proscriptorum duode-

(1) Vid. Huschke, *Ueber den Census und die Steuerverfassung des fr. Kaiserzeit.* Berlin, 1847.

(2) Spart., c. 7.

(3) Dig., lib. XLVIII, tit. XX, 7.

cimas bonorum concessit, ignotorum hæreditates repudiavit nec notorum accepit, si filios haberent (1). Idem primus fisci advocatum instituit (2).

Hadrianus etiam, Nervæ atque Trajani vestigia secutus, pueris ac puellis alimentariis diligentissime consuluit. « Pueris et puellis, quibus etiam Trajanus « alimenta detulerat, incrementum liberalitatis ad- « jecit (3). » Idem ætatem citra quam ita alerentur pueri puellæque constituit. « Si quis exemplum ali- « mentorum quæ dudum pueris et puellis dabantur « velit sequi, sciat Hadrianum constituisse ut pueri « usque ad decimum octavum, puellæ usque ad « quartum decimum annum alantur » (4).

CAPUT XV

De re militari.

« Pacis magis quam belli cupidus Hadrianus, ait « Spartianus (5), militem quasi bellum immineret « exercuit... Siquidem ipse post Cæsarem Octavium « labantem disciplinam incuria superiorum princi- « pum retinuit, ordinatis et officiis et impendiis. »

(1) Spart., c. 18.
(2) Spart., c. 20.
(3) Spart., c. 7.
(4) Dig., lib. XXXIV, tit. I, § 14. Cf. Paufler, *De pueris et puellis alimentariis*. Dresdæ, 1809, in-4. — Desjardins, *De tabulis alimentariis disputatio historica*, 1856.
(5) C. 10.

Ac Dio : «Πᾶν τὸ στρατιωτικὸν δι’ ὅλης τῆς ἀρχῆς ἤσκησε καὶ κατεκόσμησεν, ὥστε καὶ νῦν τὰ τότε ὑπ’ αὐτοῦ ταχθέντα νόμον σφίσι τῆς στρατείας εἶναι. » Quorum quidem scriptorum testimonia confirmant Aur. Victor (1) ac Vegetius (2). Unde non dubitandum est quin, Hadriano imperante, res militaris graviter immutata fuerit, expressis vero de ea re scriptorum testimoniis deficientibus, plerumque tantummodo conjicere licet (3).

Ac primum videtur, altero post Chr. sæculo, ac præsertim Trajano et Hadriano imperatoribus, aciei ordinandæ rationem immutatam fuisse. Quod quidem quo melius intelligatur, operæ pretium est memorare in quatuor periodos distingui posse apud Romanos tacticæ artis historiam, quarum prima ad Servii tempora pertinet, qui phalangem romanam instituit; secunda ad Camilli ætatem, quo auctore phalanx sublata fuit, cujus in locum successere manipuli; tertia, quæ a Mario incipit, quum non per manipulos, sed per cohortes pugnandi usus invaluit; quarta denique, de qua nunc agitur, et quæ ab Antoninis

(1) Epit., c. 14.

(2) Lib. I, c. 8. Multi Hadriani nummi supersunt in quibus legitur : *Exercitus. Dacicus.*, *Exercitus. Noricus.*, etc., et in quibus exhibetur is imperator stans in suggestu, vel sæpius eques, exercitum alloquens. Namque, in plerisque provinciarum quas invisit, noster imperator milites diligenter recensuit, eosdemque sæpissime in armis exercuit, ut plane testatur inscriptio quædam in Africa a L. Renier reperta. Cf. Greppo, p. 27.

(3) Hic ducem secuti sumus Lange, qui, in *Historia mutationum rei militaris Romanorum inde ab interitu reipublicæ usque ad Constantinum Magnum*, de hac quæstione obscurissima doctissime scripsit. In-8, 1846, Gött.

imperatoribus fere usque ad imperii romani interitum perdurat.

Post Augustum, ut neminem fugit, Romanis dimicandum fuit præsertim cum barbaris qui, scientiæ militaris omnino expertes, agmine incomposito irruebant. Itaque ipsi romani duces, quo facilius barbarorum impetus sustineretur, paulatim ad vetera instituta redierunt atque, sublatis Marii cohortibus, haud absimili Servii phalangis acie usi fuerunt. Quod quidem manifesto patet e libris qui, ea ætate, de arte militari compositi sunt.

Jam Neronis temporibus, bello adversus Britannos, aciei in modum phalangis dispositæ mentio est. Dio narrat cum Britannis pugnam, in qua Paulinus exercitum in tres phalanges distribuit; at, Hadriani ætate, nobis suppeditat expressam hujus generis aciei descriptionem Arrianus, in libro qui inscribitur Ἔκταξις κατὰ Ἀλανῶν.

Videntur quoque ad Hadriani tempora referri posse *frumentariorum* initia, quibus jam inde ab illa ætate cura erat non solum commeatus parandi, verum etiam scriptas ab imperatore epistolas ferendi atque, quod quidem in illos odium conflavit, per omnes provincias omnia explorandi et ad imperatorem deferendi. Namque apud Spartianum legimus : « Et erat « (Hadrianus) curiosus non solum domus suæ, sed « etiam amicorum, ita ut per frumentarios occulta « omnia exploraret, nec adverterent amici sciri ab « imperatore suam vitam, priusquam ipse hoc impe- « rator ostenderet » (1).

Nihil vero antiquius Hadriano fuit quam ut ve-

(1) C. 11.

terem disciplinam restitueret. Illud autem eo facilius persequi poterat quod jussa exemplo confirmabat. « Primus enim ipse, ait Fronto (1), haud sæpius « equo vehi quam pedibus fatisci ; tam solem torri- « dum facile quam diem serenum ferre ; pulverem « confertum pro nebulis pati, sudorem in armis, ut « in ludicris ; insuper habere caput apertum soli, « et imbribus, et grandini, et nivibus, neque se ad- « versus tela munitum præbere ; spectandis in cam- « pis militibus operam dare, et ægros intervisere ; « non incuriose per militum contubernia transire, « sed forte temere Syrorum munditias introspicere « et Pannoniorum inscitias ; sero ipse post decisa ne- « gotia lavare ; mensa sobria, victu in castris ple- « beio ; vinum loci, aquam temporis bibere ; primam « vigiliam facile vigilare, postremam jamdudum « expergitus opperiri ; labore magis quam otio læta- « ri, otio ad laborem abuti. »

« Nunquam passus est, ait Spartianus, aliquem « a castris injuste abesse, cum tribunos non favor « militum, sed justitia, commendaret ; nulli vitem « nisi robusto et bonæ famæ daret, nec tribunum, « nisi plena barba faceret, aut ejus ætatis, quæ « prudentia et annis tribunatus robur impleret (2), « nec pateretur quidquam tribunum a milite acci- « pere (3) ; delicata omnia undique summoveret,

(1) *Ep.*, t. II, p. 329, ed. Arm. Cassan.

(2) Hic agitur de juvenibus nobilibus, qui ab imperatore tribuni militum creabantur, quique eo munere functi ad officia civilia idonei evadebant.

(3) Tribuni scilicet et duces præter annonas suas, quas de publico pro sua dignitate consequebantur, emolumentum et compendium sive lucellum quoddam faciebant ex ipsismet militibus ;

« arma postremo eorum supellectilemque corrige-« ret. De militum ætatibus judicabat, ne quis « aut minor quam virtus posceret, aut major quam « pateretur humanitas, in castris contra morem ve-« terem versaretur, agebatque ut sibi semper noti « essent, et eorum numerus sciretur (1). »

Idem, ne desidia miles corrumperetur, curavit ut legionarii sive in exercitationibus, sive in magnis operibus conficiendis, occuparentur. « Vetus « consuetudo, ait Vegetius, permansit, et divi Au-« gusti atque Adriani constitutionibus præcavetur, « ut ter in mense tam equites quam pedites educan-« tur ambulatum : hoc enim verbo hoc exercitii « genus nominant. » Inscriptiones quoque, quarum nonnullas supra attulimus, testantur in publicis operibus exstruendis, viis scilicet militaribus, legiones sæpissime occupatas fuisse.

CAPUT XVI.

De fortuna jurisprudentiæ romanæ sub Hadriano.

Hadriani ætate, jurisprudentia romana graviter immutata fuit ac prope novam faciem induit. Hinc enim senatusconsulta vere illo nomine digna in dies

idque lucelli genus *stillatura* vel *stellatura* vocabatur : quod quidem severiores disciplinæ militaris observatores improbarunt.

(1) Cf. Front., *Ep.*, t. II, p. 329, ed. Arm. Cassan.

rariora fiunt atque haud multo post omnino cessant. Constitutiones autem principum frequentiores occurrunt, atque jam inde ab illis temporibus fere unicus novæ jurisprudentiæ fons haberi possunt; deinde *Jus honorarium*, assiduis varietatibus mutationibusque singulorum prætorum magistratuumve ceterorum obnoxium antea, et eam ob causam incertum, vehementerque impeditum, composito per Julianum jnrisconsultum edicto perpetuo, ad certam perpetuamque formulam redactum est; denique jurisconsultis, si minus restitutum, at certe auctum atque amplificatum respondendi jus.

A Tiberii temporibus, quatuor exstitere fontes jurisprudentiæ romanæ : senatusconsulta scilicet, constitutiones principum, jus honorarium seu magistratuum edicta, responsa denique jurisconsultorum; de quibus singulis fontibus breviter nobis dicendum est.

Ac primum de senatusconsultis agamus. Quod si tantum ad eorum genera respicitur, haud diffitendum est sub imperatoribus multo latius quam republica adhuc stante senatusconsulta patuisse : namque, antequam ad principem esset translata summa potestas, nunquam fere spectantibus ad jus civile senatusconsultis cautum fuit; aliter autem omnino factum est postquam, Tiberio imperatore, a populo ad senatum comitia translata fuerunt; ex quo enim paulatim discrimen illud quod hactenus inter leges atque senatusconsulta exstiterat sublatum est. Neque tamen ideo sibi fingendum, si frequentiora necnon genere magis diversa reperiuntur, multo plus in republica senatusconsulta valuisse. Namque illa tum fiebant non tam de amplissimi illius ordinis sententia quam

ex voluntate principis, qui, oratione præmissa, quid fieri vellet senatui significabat. Unde passim oratione principis cautum dicitur quod senatusconsulto aliquo fuerat cautum. Quod quidem institutum maxime ab Hadriani tempore usitatum fuisse ex eo patet quod in jurisconsultorum libris, atque in primis Gaii, omnia fere lata sub illo principe senatusconsulta cum hac formula occurrunt: *auctore Hadriano* vel *ex auctoritate Hadriani*. Neque, dum provincias peragrabat, senatum infra se tenere desiit Hadrianus, quippe qui sæpissime epistolis vel libellis quid fieri vellet illum monuerit. Vetus enim erat consuetudo, ut absentes principes loco orationum, quas ipsi aliquando recitare solebant, ad senatum mitterent epistolas vel libellos, quorum recitatio ad officium quæstoris candidati pertinebat. Denique, si quædam majoris momenti, et quæ in primis ad posteritatem valere vellent, edicto caverant principes, nihil prius habebant quam ut illa senatusconsultis confirmarentur, atque ita in leges abirent. Contra et senatusconsulta, si qua ad eorum voluntatem facta erant, ipsis edictis suis firmabant publicabantque, atque ita nova specie libertatis populo illudebant, ut hic omnia de sententia totius senatus a principe fieri crederet. His quidem præmissis, facilius intelligetur quomodo fieri potuerit, Antoninorum ætate, atque in primis Hadriani, ut non ita pauca lata fuerint senatusconsulta vel de maximis rebus, ut et de edicto Salvii Juliani perpetuo, neque tamen ideo suffragandum sit horum jurisconsultorum opinioni qui contendant in jure constituendo non majorem quam antea sibi partem tunc vindicasse principum constitutiones.

Nunc ad constitutiones principum transeamus, quas inter distinguendum est *rescripta*, *decreta*, *mandata* atque *edicta*, quæ quidem omnia constitutionis vocabulo continentur.

Illud autem maxime notandum est, initio quidem principatus, multum abfuisse ut eamdem vim, ac postea, habuerint constitutiones. Imperatores enim, si quid juris universe statui volebant, qua adhuc tum modestia erant, ut supra diximus, senatui oratione, vel libellis per quæstorem candidatum recitatis, quid sibi videretur, quid utile reique publicæ salutare censerent, ostendebant; atque ita id quod censuerant, senatusconsulto confirmatum, auctoritatem legis consequebatur. Præterea imperatorum constitutiones nonnisi in iis causis, in quibus datæ erant, jus præscribebant, certamque demum provinciam, vel civitatem, aut commune unius gentis, non continuo reliquas gentes, vel provincias romano imperio subjectas, constringebant; nisi id nominatim esset constitutum, atque ad generalia pertineret, quod quidem maxime edictorum proprium erat.

Complures autem causæ sunt cur principum constitutiones, a parvis initiis ortæ, sensim ad summam vim excreverint, atque unicus prope jurisprudentiæ romanæ fons evaserint. Republica ad unum translata, ut neminem fugit, effecta fuit provinciarum divisio, quarum validiores et quas annuis magistratuum imperiis regi nec facile, nec tutum erat, ipse suscepit Augustus, ceteras proconsulibus sortito permisit, ita tamen ut singulæ provinciæ quæ post hanc divisionem imperio adjungerentur Cæsaris haberentur. Præterea, jam inde ab Augusto, sæpe, pro ratione temporum, aut ad libitum imperatorum,

hunc ordinem immutatum fuisse novimus, cum e priscis, qui illam permutationem subinde notant, historicis, tum ex lapidum atque nummorum testimoniis. Inde effectum fuit ut, maxima imperii romani parte principi subjecta, atque provinciarum imperialium et senatoriarum discrimine prope sublato, edicta imperialia, quæ a primis imperatoribus, jure proconsulatus, liberiore edicendi potestate usis, in provinciis præcipue Cæsaris, legum numero censerentur, in dies latius pertinerent ac nonnunquam constitutionum generalium vim obtinerent. Neque autem obliviscendum est, ea ætate, compluribus de causis supra allatis, consilii principis jura maxime amplificata fuisse atque ejusdem factos esse participes nonnullos ex præstantissimis jurisconsultis qui iis temporibus floruerunt; ex quo consecutum fuit ut, cum frequentiores essent principis constitutiones, tum quoque multo majus pondus haberent; quod quidem sæpissime sub Hadriano factum est, qui, totus in orbe romano peragrando occupatus, fere nunquam Romæ commoratus est. Deinde, quemadmodum infra ostendetur, tum demum imperatorum Antoninorum temporibus, principe leges condendi vel corrigendi jure revera uso, atque gravissima, quod ad jus honorarium sive ex prætorum edictis ortum attinet, mutatione effecta, qua, nonnisi imperatore probante, hæc pars jurisprudentiæ romanæ emendaretur vel augeretur, mos ille sensim invaluit ut principales constitutiones pro lege generali censerentur.

Quanquam cum G. Hugo in eo consentimus, jam inde ab Augusto complura atque maximi momenti edicta ab imperatoribus effecta fuisse, ut in Digestis videmus, tamen ei non suffragari possumus conten-

denti, quod ad illam jurisprudentiæ romanæ partem spectat, prope nihil ab Hadriani temporibus novum allatum fuisse. Namque, a Trajani ætate, in Digestis, principalium constitutionum numerum ita adauctum animadvertimus ut manifestum sit tunc novam quasi faciem jurisprudentiæ romanæ factam fuisse, quod quidem ostendit *juris honorarii* ea ætate status, de quo nobis nunc agendum est.

Inter fontes e quibus manavit mirificum illud jurisprudentiæ romanæ flumen, præcipuum locum obtinet *jus prætorium*, sive *honorarium*, idcirco quod qui *honores* gerunt, id est magistratus, auctoritatem huic juri dederunt. Creati autem prætores, tam urbanus quam peregrinus, priusquam judicarent, ut cuique notum esset quemadmodum anno suo jus dicturi essent, in tabula vel in albo, ubi de plano recte legi posset, solebant edicta constituere atque proponere ; idque inito magistratu, habita concione, et jurati in leges faciebant. Sæpissime vero fiebat ut prætor non omne antecessoris edictum repudiaret, tantummodo autem nonnulla corrigeret vel adderet, ita ut ea pars, quæ ex superiore edicto desumpta esset, *translatitia* vel *tralatitia* diceretur, altera autem *nova*. Quodcunque autem fuerit, utique cogebatur prætor per totum annum, intra quem ejus magistratus continebatur, secundum ea quæ in *albo* proposuerat jus dicere, unde prætoris edictum nuncupabatur sive *lex annua*, quia non ultra annum valeret, sive *edictum perpetuum*, quia universum præturæ unius tempus complecteretur; quæ quidem ratio ut servaretur, neque prætores ad libitum, neglecto ipsorum edicto, ut quisque avaritia aut ambitione duceretur, varie jus dicerent, lata est,

ann. Urbis 687, lex Cornelia, qua cautum fuit ut prætores ex edictis suis perpetuis jus dicerent.

Quod si autem quæritur qua regula utentes edictum mutarent prætores, reperitur eos in id maxime incubuisse ut, astrictiores veteris juris fines egressi, illud magis ac magis ad æquitatis et naturæ præscriptiones redigerent. Quod quidem testantur hæc verba Dig., *De just. et jure*, I, VII, § I : « Jus prætorium est quod prætores introduxerunt adjuvandi, vel supplendi, vel corrigendi juris civilis gratia, propter utilitatem publicam, quod et honorarium dicitur. » Et I, VIII : « Jus honorarium viva vox est « juris civilis. » In quo, ut facile intelligi licet, prætori urbano operam utilem navavit prætor peregrinus, quippe qui, ut cuique notum est, nonnisi ex jure gentium jus diceret.

Neque vero credendum est ex solis prætorum, urbano atque peregrino, edictis, jus honorarium nasci : nam omnes magistratus, præter ædiles et proconsules, quorum edicta nemo ignorat, edicendi jure usi sunt (1).

Quemadmodum autem mos ille, quo diversorum magistratuum edicta sive supplebantur, sive corrigebantur atque ad æquitatem et temporum locorumve necessitudines melius redigebantur, multis quidem partibus, jurisprudentiæ romanæ statum potiorem effecerat, ita quoque consecutum erat ut ex illa varietate magna difficultas orta esset, fieretque ideo anceps atque impedita jurisprudentia. Itaque videbatur perquam necessarium et utile jurisdictioni magistratuum certam formulam præscribere, cui omnes

(1) Vid. Heinecc., opp. posth., p. 41 sqq.

adstringerentur, a qua recedere nonnisi perraro possent ac tantummodo quum tempora et res postularent ; et juris studiosis certum juris honorarii quasi corpus componere, quo certior atque liquidior fieret scientia. Ac jurisconsulti quidem nonnulli, cum liberæ reipublicæ, tum imperatorum ætate, ante Hadriani tempora, colligendis componendisque edictis consulere disciplinæ juris tentaverant, inter quos memorandi sunt Servius Sulpicius et C. Aul. Ofilius, qui primi id susceperunt, deinde Labeo, etc. Sed is labor, a privatis susceptus, auctoritate caruerat. Igitur Hadrianus imperator, cum jure potissimum constituendo rempublicam fundare suscepisset, in primis juris honorarii componendi consilium cepit, idque negotium dedit Salvio Juliano, jurisconsulto iis temporibus celeberrimo, consilii principis participi facto, et forte tum designato prætori urbano.

Multum, ut cuique notum est, dissident inter se viri eruditi de genuina edicti perpetui natura, quorum alii contendunt illud non ita edictorum a superioribus prætoribus publicatorum absimile fuisse, alii autem, vim ac pondus ejusdem exaggerantes, istum novum jurisprudentiæ romanæ statum sibi fingunt, in quo jus edicendi magistratibus omnino ereptum fuisset. At, sicuti fieri solet, in medio verum, nostra sententia, positum est (1).

(1) Inter viros doctos qui de hac re scripserunt, ii sunt qui copiosissime necnon optime disseruerunt : Heineccius, *Historia edictorum edictique perpetui, ordini et integritati suæ restituti*, in opp. posth. ed. altera, 1748, in-4, p. 1-644. — Bach, *De ed. perp. prov.* Lips., 1752. Ejusdem *Hist. jur. rom.*, in-8. — Biener, *De Salv. Jul. meritis in ed. pr. recte æstim.* Lips., 1809.

Ac primum non desunt argumenta quibus comprobari possit edictum Salvii Juliani non posse cum superiorum prætorum edictis confundi, neque modo, sicut ea, *perpetui* nomen obtinuisse quia in universum unius præturæ tempus valere deberet. Quam quidem opinionem satis utique redarguit diversa conditi, Hadriani jussu, a Salvio Juliano, cum e prioribus prætorum edictis, tum aliunde, singulari studio atque industria, *edicti perpetui* ratio. Videtur enim noster Julianus amplissimum illud opus suscepisse non sua sponte et tantummodo veterem usum secutus, nostri autem imperatoris consilio, qui, Numæ æmulus, rempublicam legibus fundare in animo habuit. Quocirca, sive apud jurisconsultos, sive apud historicos, edictum perpetuum non minus Hadriani quam Salvii Juliani dictum est (1).

Deinde, ac præcipuum nobis videtur illud argumentum, edictum de quo nunc agimus principis

— Haubold, *Opuscula acad.*, t. II, p. 238 sqq. — Bouchaud, *Recherches hist. sur les édits des mag. rom. Mém. de l'Acad.*, t. XXXIX, XLI, XLII, XLV. — Ortolan, *Hist. de la législ. rom. Explicat. hist. des Institutes.* — Pellat, *Précis d'un cours sur l'ensemble du droit privé des Romains.* — Hugo, *Hist. du droit romain*, transl. e ling. germ. a Jourdan, 2 v. in-8. — Zimmern, *Gesch. der Röm. R.* Heid., 1826, t. 1, p. 118-140. — Puchta, *Cursus d. inst.* Lips., 1841, t. I. p. 537 sqq. — Burchardi, *Staats und Rechtsgesch. der Römer.* Stuttgard, 1841, t. I, 258 sqq. — Gregorovius, *Gesch. der römischen Kaisers Hadrian und seiner zeit.* Königsberg, 1851, p. 127 sqq.

(1) Aur. Vict., c. 14. « Græcorum more, seu Pompilii Numæ *leges curare* occepit. » — Latinus Pacatus, in *Paneg. Theod.*, c. II. « Hadrianus legibus rempublicam imbuit. » — Oros., VII, c. XIII. « Hadrianus rempublicam justissimis legibus ordinavit. » Cf. Leo imp., Procem. Βασιλικῶν.

oratione atque senatusconsulto sancitum fuit, tanquam locum inter reipublicæ leges occupaturum ac jus perpetuo habendum (1). Denique, sive apud jurisconsultos, sive apud historicos, de edicto Juliani perpetuo non tanquam de edicto quodam vulgari atque ad morem antiquum composito, verum tanquam de opere quodam singulari atque præstantissimo dicitur (2). Itaque ut ante Hadrianum omnes leges omniaque plebiscita, senatusconsulta atque responsa prudentium, ad tabulas illas decemvirales illustrandas supplendasque erant comparata, sic quoque ab Hadriani temporibus studium quasi fervere videmus circa edictum Juliani, omnisque a jurisconsultis labor in eo est ut edictum perpetuum interpretentur.

(1) Justinianus, Const. græca ad senatum, § 18. *De confirm.*, Dig.

(2) Eus., *Chron.*, n. 2147. «S. Jul. perpetuum condidit edictum.»—Sp. Sev., 17. « S. Jul. decreta jussit aboleri, quod non obtinuit. » Cf. Aur. Vict., in Did. Jul.; Eutrop., x, 9.—Justinianus, *De concept.*, Dig.... « et in libros quinquaginta et certos titulos totum digerere, tam secundum nostri Codicis constitutionem quam *edicti perpetui imitationem*. » — Id., Cod., lib. IV, tit. V, § 10. « Salvium Julianum, summæ auctoritatis hominem, et *prætorii edicti perpetui* ordinatorem.»— Diocletianus et Maximianus impp., Cod., lib. VII, tit. 62, § 5, non dubitant appellare *Jus perpetuum*. Heineccius, in præclarissimo opere de edicto perpetuo, non ita paucas dicendi formulas affert, quæ apud jurisconsultos occurrunt, quæque manifesto testantur edictum illud a Salvio Juliano constructum in foro pro norma jurisdictionis immutabili ac perpetua fuisse, necnon esse dictum κατ' ἐξοχὴν Edictum, vel, e. g., *Edicti forma*, *Edicti perpetui auctoritas*, *Juris auctoritas*, *Forma constituta*, *Forma juris*, *Forma jurisdictionis*, *Jurisdictionis tenor*, *Perpetua jurisdictio*, *Indubitatum jus*, *Juris ratio*, etc., etc. (Cf. Heinecc., p. 185 sqq.)

Quod ad materiam edicti perpetui attinet, in eo consentiunt præstantissimi jurisprudentiæ romanæ historici, inter quos eminent Heineccius et Haubold, Salvii Juliani laborem complexum fuisse edicta duorum prætorum, urbani scilicet et peregrini, ædiliumque et proconsulum. Peregrini autem edicti cum urbano conjunctio quemadmodum eo fuit expeditior quo prius ad posterius magis accedebat, præsertim iis temporibus, de quibus nunc agitur, ita quodam modo necessaria visa est propter usum provinciarum, quarum edicta et ipsa maximam cum edicto peregrino habuerunt similitudinem. Provinciarum enim potissimum gratia, utque illæ æquo jure et inter se et cum urbe uterentur, Hadrianus *jus honorarium* emendavit; quod in primis e Salvii Juliani scriptura quæ indicat : « debere omnes civitates *consuetudi-* « *nem* Romæ sequi, quæ caput est orbis terra- « rum (1) », probabile est, præsertim si meminerimus *consuetudinis* vocabulum jam a Cicerone de magistratuum edictis fuisse usurpatum. Unde etiam intelligi potest cur nemo fere veterum jurisconsultorum inveniatur qui hanc juris honorarii portionem, utpote quæ in urbanum edictum prorsus translata fuerit, peculiari illustraverit commentario.

Quod spectat ad edictorum urbani atque provincialis similitudinem, hic apponere placet quæ de ea re multum inter eruditos disputata doctissime disseruit Heineccius, in not. Edicti perpetui restituti, p. 299. Hæc sunt : « Diversa fuisse edicta urbanum et pro- « vinciale vulgo credunt, idemque et nos olim cre- « didimus, antequam in hoc studium edictale incum-

(1) Const. Deo auctore. *De concept.*, Dig., § 10.

« beremus. Jam aliter sentimus, argumentis con-
« victi quam plurimis, idemque edictum, quod in
« urbe *urbicum*, *urbanum*, *prætorium* dictum sit, in
« provinciis dictum esse *provinciale* vel *proconsulare*
« statuimus. Nam primo de condito quodam sin-
« gulari edicto provinciali nemo veterum auctorum
« quidquam prodidit memoriæ. Deinde Gaius, qui
« edictum provinciale commentariis luculentissimis
« illustravit, edicti perpetui prætorii ordinem per
« omnia servavit, argumento luculentissimo, illud
« cum provinciali unum idemque fuisse. Præterea
« idem jurisconsultus, recitans verba edictalia,
« promiscue utitur formulis : *Ait prætor*, et *Ait pro-*
« *cos.* Quis vero non risisset jureconsultum, si modo
« ex urbano, modo ex provinciali edicto periochas a-
« liquas decerptas explicasset, et tamen istam rhapso-
« diam inscripsisset *Commentarios in edictum provin-*
« *ciale?* Quum porro eo consilio edictum compilari jus-
« serit Hadrianus, ne varie et incondite, uti olim, edic-
« ta proponerentur, quid probabilius est quam eum
« idem ubique jus in urbe ac provinciis vigere voluis-
« se? Constat sane, libera adhuc republica, novos pro-
« vinciarum magistratus edicta urbana plerumque
« in provincialia sua transtulisse. (Cicero, ad Attic.,
« VI, ep. I, et Verrin., I, c. 46.) Quanto magis in-
« sequentibus temporibus operam dedisse principes
« probabile est ut in urbe ac provinciis unum idem-
« que jus vigeret? Denique Aristides, *Orat. in Ro-*
« *mam*, p. 390, diserte testatur, ætate sua (scripsit
« autem hanc orationem sub M. Antonino imp.), non
« amplius fuisse leges diversas, sed *θεσμοὺς καὶ τάξεις*
« *ἀφύκτους ἅπασι ἐπισταθείσας*, addens, p. 393, non
« opus esse amplius ut, quibus singulæ civitates

« utantur, leges operose recenseantur, quandoqui-
« dem Romani νόμους κοινοὺς dederint omnibus, et
« jam universum orbem romanum (ἅπασαν τὴν οἰκου-
« μένην) tanquam unam domum administrent. Quæ
« omnia de edicto perpetuo accipienda esse recte
« vidit Spanh., *Orb. Rom*, p. 187, et hæc quidem
« argumenta inducere potuerunt Ant. Pagi ut in *Cri-
« tica Baron.*, t. I, p. 127, scriberet : Edicto perpe-
« tuo omnes civitates romanæ urbis leges sequi jus-
« sas esse. »

Neque tamen putandum est Julianum ejusdem generis, cujus Digesta Justiniani imperatoris jussu composita, vastum quoddam opus, in quo omne jus romanum fusius contineretur, componere instituisse, utpote qui, ut inter optimos jurisprudentiæ romanæ historicos constat, nonnisi, Hadriano auctore, συλλογὴν edictorum superiorum brevi libello (βραχεῖ βιβλίῳ) comprehensam proposuerit. Quod quidem maxime notandum est, ut ratio reddi possit cur non, ut falso nonnulli putaverunt, ab eo tempore jus edicendi magistratibus omnino ereptum fuerit. Brevius enim erat hoc edictum perpetuum quam ut sufficeret tot causis, quæ quotidie emergerent, jure dirimendis.

Hæc est enim inter viros eruditos quæstio multum disputata, utrum cum edicto Salvii Juliani perpetuo prorsus cessaverit jus edicendi, quo usque ad hoc tempus usi fuerant magistratus, an post Hadrianum ut antea permanserit. Ac primum, quod ad prætorum ceterorumque magistratuum ipsum edicendi jus pertinet, exstat apud Gaium (I, § 6) locus qui veterum jurisprudentiæ romanæ historicorum disputationibus finem facit, et unde prorsus liquet, vel post Hadrianum, jure edicendi usos esse magistratus ro-

manos. Ait enim : « Jus autem edicendi habent magistratus populi ; sed amplissimum jus est in edictis duorum prætorum, urbani et peregrini, quorum in provinciis jurisdictionem præsides earum habent. Item in edictis ædilium curulium, quorum jurisdictionem in provinciis populi romani quæstores habent : nam in provincias Cæsaris omnino quæstores non mittuntur, et ob id hoc edictum in his provinciis non proponitur. » Edicere ergo poterant magistratus, vel condito edicto perpetuo, sed non omnino velut antea fuerat, ut plane testantur hæc Justiniani verba (1) : « Sed quia divinæ quidem res perfectissimæ sunt, humani vero juris conditio semper in infinitum decurrit et nihil est in eo quod stare perpetuo possit, multas etenim formas edere natura novas deproperat, non desperamus quædam postea emergi negotia quæ adhuc legum laqueis non sunt innodata. Si quid igitur tale contigerit, augustum imploretur remedium : cum et ipse Julianus, legum et edicti perpetui subtilissimus conditor, in suis libris hoc retulerit : At si quid imperfectum inveniatur, ab imperiali sanctione hoc repleatur. Et non ipse solus, sed et divus Hadrianus in compositione edicti, et senatusconsulto quod eam secutum est, hoc apertissime definivit, ut, si quid in edicto positum non inveniatur, hoc ad ejus regulas ejusque conjecturas et imitationes possit nova instruere auctoritas. »

Hæc constitutio, ut nobis videtur, ostendit post edictum perpetuum Salvii Juliani non omnino jus

(1) *De confirm.*, Dig., 18.

honorarium sublatum fuisse. Magistratibus enim, sicut antea, illud sive corrigere, sive supplere licuit; quod autem non fieri solebat, nisi quum novi aliquid et inauditi accidisset, et jam ante statuisset ipse imperator; qua in re summa cura providebatur ut Julianeæ formulæ sententia quam maxime accommodaretur. Quum autem edictis prætorum, ædilium, præsidum unitis, atque sententiis præstantissimorum jurisconsultorum accurate examinatis, ita ampla atque certa Salvii Juliani formula instituta esset ut nonnisi rarissime lacunam præberet, quod quidem ad præcipua juris capita pertinet, tum sensim diversorum magistratuum edicendi jus, quamvis usque ex lege permaneret, tamen intra fines adeo adstrictos circumscriptum est ut sequentibus imperatoribus prope nullum fuerit. Tum quoque in ejus locum prorsus fere successerunt imperiales constitutiones, quæ ab iis temporibus fons præcipuus juris civilis habendæ sunt. Itaque annumerandum illud Salvii Juliani edictum optimis rationibus quibus usus fuit noster imperator ut eam, ad quam in primis spectabat, imperii romani unitatem conderet.

Superest ut dicamus de ultimo et uberrimo juris civilis fonte, id est *responsis prudentium*. Moris fuit, apud veteres Romanos ut unusquisque ex plebe quemcumque ex patribus vellet patronum cooptaret. Quæ necessitudo id ferebat ut patronus clientem jura et legitima doceret ac perpetua protectione defenderet, cliens autem patronum omni obsequio coleret. Postquam autem, decursu temporis, hæc clientela prorsus fere sublata fuit, in primis ex quo plebeii iisdem atque patres usi fuerunt legibus, in consuetudinem venit viros juris civilis scientiæ peri-

tissimos id negotium suscipere, sive domi, sive in foro, consulentibus sententiam dicere, qui quidem ex eo nuncupabantur *jurisconsulti* vel *prudentes*. Quamvis autem nulla lex existeret qua apud judices illorum prudentium responsa valerent, tamen facile intelligi licet ea, sola consuetudine atque eorum qui respondebant auctoritate, aliquando legis vicem obtinuisse. Primus vero divus Augustus, quo major juris auctoritas haberetur, ut ait Pomponius, aut potius ut scientiam juris civilis, sicuti cetera omnia, infra se teneret; constituit ut nonnisi ex auctoritate ipsius responderent jurisconsulti, et ex illo tempore hoc pro beneficio peti cœpit. Num autem illud institutum servaverit Hadrianus inter eruditos disceptatur. Equidem hæc verba Gaii videntur ostendere hunc morem sub nostro imperatore adhuc invaluisse, quæ sunt : « Responsa prudentium sunt sententiæ et opiniones « eorum quibus permissum est jura condere : quo- « rum omnium si in unum sententiæ concurrant, id « quod ita sentiunt legis vicem obtinet; si vero dis- « sentiunt, judici licet quam velit sententiam sequi; « idque rescripto divi Hadriani significatur (1). » Cui quidem loco opponuntur hæc Pomponii verba : « Hadrianus, cum ab eo viri prætorii peterent ut « sibi liceret respondere, rescripsit eis hoc non peti, « sed præstari solere; et ideo, si quis fiduciam sui « haberet, delectari se; populo ad respondendum « se præpararet. » Hic autem locus procul dubio est maxime obscurus, neque facile est statuere num ea Hadriani verba morem, quem Augustus introduxerat, sublatum fuisse significent.

(1) Lib. I, § 7.

CAPUT XVII.

De christianis atque Judæis.

Quod ad varios, qui in imperio romano erant, cultus spectat, idem atque in republica administranda propositum habuisse videtur noster imperator, utpote qui, unitatis imperii condendæ studiosissimus, in id incubuerit ut omnes omnium in orbe romano gentium religiones inter se componerentur atque Roma omnium deorum quasi patria fieret. (Arrian. « Θεοὺς αὐτοὺς ἄλλους παρ' ἄλλων λαβόντες, ὡς οἰκείους σέβουσιν. ») Hinc vidimus eum, dum provincias peragrabat, cujusque gentis deos summis honoribus colentem, et in villa illa celebratissima Tiburtina, de qua supra actum est, omnium fere numinum veterum simulacra curiose congregantem. Quinetiam, si Lampridio (Alex. Sev., 43) fides adhibenda sit, complura templa exstruenda curavit, in quibus nullæ statuæ reperiebantur, quasi Christum quoque colere voluisset. Quidquid autem fuerit, compertum habemus Hadrianum in christianos mitissimum sese præbuisse. Apud Lactantium legimus nullam a Domitiano usque ad Decium persecutionem fuisse. Cum quo consentit Tertullianus. Dio quoque, cum de ratione Antonini erga christianos loquitur, sic ait : « καὶ τῇ Ἀδριανοῦ τιμῇ, ἣν ἐκεῖνος

ἐτίμα χριστιανούς, προστιθείς, κ. τ. λ. » Quod si ecclesiasticæ historiæ scriptores, ut Eusebius, Hieronymus, Augustinus, Orosius, de persecutione quadam sub Hadriano in christianos facta loquuntur, procul dubio, ea quæ referunt nonnisi ad illa supplicia quæ injussu principis, in quibusdam provinciis vel civitatibus, si quid mali accidisset, ex christianis sumebantur, spectant. Eusebius ipse nullius martyris ad Hadriani tempora pertinentis nomen affert. Unus autem, nomine Telesphorus, apud Iren., III, 3, reperitur. Non possumus autem magis perspicuum Hadriani erga christianos indulgentiæ testimonium afferre quam epistolam illam pervulgatissimam, ad Minucium Fundanium, Asiæ proconsulem, anno 122, ab eo scriptam, ne quis christianorum indicta causa puniretur (1). Illius autem indulgentiæ Hadriani præcipuam causam nonnulli viri docti, nec immerito, putaverunt exstitisse orationes apologeticas quas circa idem tempus Aristides philosophus et episcopus Quadratus huic principi, quum Athenis hiemaret, obtulerunt.

Quod si idem imperator sævius cum Judæis egit, illius diversæ agendi rationis causas exponere haud difficile est. Neminem enim fugit tum demum christianos a Judæis secerni cœpisse, quorum priores, ut qui fidem firmare sanguine satis ducerent, nullam in imperio romano rebellionem faciebant; posteriores autem, etiam post Hierosolymam a Tito captam, veteris

(1) Eus., Cæs., lib. IV, c. 9. De anno hujus rescripti ducem secuti sumus Cavedoni in lib. cui titulus : *Cenni cronologici intorno alla data precisa delle principali apologie e dei rescritti imperiali di Traiano e di Adriano risguardanti i cristiani.* Modena, 1857, p. 7 et sqq.

libertatis recuperandæ spem usque servabant, atque, prout occasio sese dabat, arma capessebant, ut sub fine Trajani principatus, quum vastationibus atque suppliciis terrorem provinciis orientalibus incusserunt. Præterea notum est apud Judæos etiam adhuc invaluisse hanc legem antiquam, qua prohiberentur cum ceteris gentibus societatem inire, quod quidem molestissimum habere debuit Hadrianus, cui, ut supra diximus, nihil antiquius fuit quam ut omnes imperii romani gentes in unum coalescerent.

A nostro proposito alienum est fusius enarrare bellum atrox quod cum Judæis sub Hadriano (132-136) actum fuit. Hic tantummodo operæ pretium videtur illius belli causas et eventum memorare. Si Spartianum audias, Judæos rebellasse credas quia « vetarentur mutilare genitalia (1) ». Qua de causa tacet Dio, qui sic ait : Ἐς δὲ τὰ Ἱεροσόλυμα πόλιν αὐτοῦ ἀντὶ τῆς κατασκαφείσης οἰκίσαντος, ἣν καὶ Αἰλίαν Καπιτωλίναν ὠνόμασε, καὶ ἐς τὸν τοῦ ναοῦ τοῦ θεοῦ τόπον, ναὸν τῷ Διὶ ἕτερον ἀντεγείραντος, πόλεμος οὔτε μικρὸς, οὔτ' ὀλιγοχρόνιος ἐκινήθη. Ἰουδαῖοι γάρ, δεινόν τι ποιούμενοι τὸ ἀλλοφύλους τινὰς ἐς τὴν πόλιν σφῶν οἰκισθῆναι, καὶ τὸ ἱερὰ ἀλλότρια ἐν αὐτῇ ἱδρυθῆναι.... ἀπέστησαν (2). » Hæc autem est inter eruditos quæstio multum disputata, num Hierosolyma omnino ab Hadriano eversa fuerit, atque utrum ea quæ narrat Dio ante an post bellum judaicum evenerint, de quo vid. Scal., *Animadv. in Eus.*; Pagi, *Crit. in Baronium*; Dodwell, *Diss. in Iren.* Quod ad epocham qua deducta fuerit Hierosolymam colonia pertinet, cum Tillemont conjici posse putamus jam, antequam Judæi rebellas-

(1) C. 14.
(2) Lib. LXIX, c. 12.

sent, in hanc urbem colonos fuisse deductos; eos autem, dum bellum sæviret, prorsus sublatos, ita ut, Judæa pacata, coloniam instaurare necesse fuerit. Quidquid sit, Judæos sævissime tractavit Hadrianus. Omnes enim Judæos qui capti fuerant pretio vendi jussit. Deinde, everso Hierosolymæ templo, urbem in septem vicos divisit, creavitque septem vicomagistros. Quo autem in loco surgebat *Templum*, ibi duæ Hadriani statuæ positæ sunt, atque ubi Christus in crucem sublatus fuerat Jovis Capitolini statuam atque templum Veneri dicatum videre erat. Denique Bethleem urbis portæ marmorea imposita fuit imago suis, qui, ut cuique notum est, Judæis erat invisus. Quod spectat ad interdictum de circoncisione, de quo supra dictum est, id post belli finem mansisse testatur hic Dig. tit. (lib. XLVIII, tit. VIII, § 11) : « Circumcidere « Judæis filios suos tantum rescripto divi Pii permit« titur. In non ejusdem religionis qui hoc fecerit « castrantis pœna irrogatur (1). »

CAPUT XVIII.

De institutis Hadriani ad litteras doctrinasque colendas et promovendas pertinentibus.

Equidem non in mente habemus hic studia Hadriani adeo diversa explicare, de quibus non ita pauci

(1) Salvador, *Hist. de la Judée sous la domination romaine*, 2 v. in-8.

cum multa eruditione scripserunt, quorum supra nomina attulimus. Illud autem nobis propositum instituta quibus sub nostro imperatore litteris promovendis publice cautum fuit inquirere et exponere. Suetonius, in Vespasiano (c. 18), nos docet eum principem primum e fisco rhetoribus salaria constituisse, quæ HS. centena annua essent. Cujus quidem exemplum secutus est Hadrianus, de quo sic ait Spartianus, c. 16 : « Omnes professores et honoravit et divites « fecit ». Et ib. : « Doctores, qui professioni suæ in- « habiles videbantur, ditatos honoratosque a pro- « fessione dimisit. » Quod quidem testimonium confirmat Aur. Vict., de Cæs., 14, qui ait in hunc modum : « Hadrianus... Græcorum more... doctores « curare occœpit; adeo quidem ut etiam ludum in- « genuarum artium, quod Athenæum vocant, consti- « tueret. » Immunitates quoque varias professoribus concessas confirmavit Hadrianus, ut testatur hic tit. Dig., lib. L, tit. IV, § 30 : « Magistris qui civilium « munerum vacationem habent, item grammaticis, « et oratoribus, et medicis, et philosophis, ne hospi- « tem reciperent, a principibus fuisse immunitatem « indultam, et divus Vespasianus et divus Hadrianus « rescripserunt. »

Extremum est ut dicamus de instituto quodam notatione dignissimo, Athenæo scilicet, sic dicto de Athenarum nomine, urbis omnium litterarum omniumque artium parentis. Illius autem instituti initium videtur referri posse ad ea tempora, quum, pacato oriente, peregrinationibus confectis, Romam reversus est Hadrianus, nempe circa ann. 136 (1).

(1) Bähr, *Diss. de litt. universitate Constantinopoli V. sæc.*

Dolendum est quidem quod fere nulla documenta nobis a scriptoribus servata fuerunt de illo novi prorsus generis apud Romanos instituto; quodque non multum nostratibus *Facultatibus* absimile fuisse videtur. Namque ibi audiebantur disserentes de variis litterarum partibus, in primis de philosophia et eloquentia, professores, qui ab imperatore eligebantur atque ab eodem honorarium ferebant. Præterea ibi audiebantur quoque oratores, poetæ, etc., qui, sæpius imperatore ipso præsente, scripta recitabant, qui quidem mos jam inde ab Augusti temporibus, ut cuique notum est, celebratus erat. Illud Hadriani institutum videtur non solum post eum permansisse, verum etiam amplificatum fuisse, ut testatur Cod. Theod., XIV, p. 9, § I, unde constat iis temporibus ex diversis imperii romani partibus eo confluxisse permultos juvenes, quo studiis altioribus incumberent.

condita. Heid., 1835.— Hegewisch, *Sammlung Klein. Schrift.* Flemb., 1786.—*Ueber den zustand der Wissensch. und die Enstehung des gelehrten Standes bei d. Römern*, p. 67-72. — Pauly, *Real. Encycl.*, voc. *Athenæum.*— C. O. Müller, *Quam curam respublica apud Græcos et Romanos litteris doctrinisque colendis et promovendis impenderit quæritur. Progr. zur säcular feier der Univ. Gött.*, 1837, 4, p. 14 sqq. — Naudet, *De l'instruction publique sous les Romains. Mém. de l'ac. des inscrip. et belles-lettres*, 1831, t. IX.

CAPUT XIX.

De Hadriani indole.

Quamvis in hac dissertatione illud in primis nobis propositum fuerit rationem in imperio ordinando ab Hadriano adhibitam exponere, attamen hic de illius principis indole adeo varia atque singulari nonnulla addere operæ pretium esse videtur.

Ac primum in Hadriano notanda est illa discendi cupido, atque, ut ita dicam, prurigo, qua omnes doctrinas omnesque artes complecti voluit. In eo quidem omni culpa vacaret noster imperator, nisi, stultissima gloria amens, ad id insaniæ devenisset ut omnes doctos omnesque artifices, vel præstantissimos, infra se arbitraretur; præterea eosdem, si vel minimum ei contradicerent, infestissimo odio prosequebatur, imo summa cum crudelitate tractabat. « Professores omnium artium, ait Spartianus, ut doctior, risit, contempsit, obtrivit (1). » Itaque haud inficete arguentibus amicis quod male cederet Hadriano de verbo, quod idonei auctores usurpassent, respondit Favorinus : « Non recte suadetis, familiares, qui non patimini me illum doctiorem omnibus credere qui habet triginta legiones. » Apollodorus quoque, architectus ea ætate celeberrimus, quia templi Veneris

(1) C. 15.

formam, cujus auctor erat Hadrianus, libere vituperaverat, capite damnatus est : quod quidem scelus nostro imperatori valde exprobrandum. Neque tantum in vivos, verum etiam in mortuos, insane ita sæviebat Hadrianus, quippe qui Homerum e medio tollere atque Antimachum in ejus locum subdere cogitaret (1).

Suspiciosissimus etiam fuit ac potentiæ suæ valde anxius, unde « prope cunctos vel amicissimos, « vel eos quos summis honoribus evexit, hostium « loco habuit, ut Tatianum et Nepotem, et Septi- « cium Clarum. Nam Eudæmonem prius conscium « imperii ad egestatem perduxit ; Polyænum et « Marcellum ad mortem voluntariam coegit. He- « liodorum famosissimis litteris lacessivit ; Tatianum « ut conscium tyrannidis et argui passus est, et pro- « scribi. Numidium Quadratum, et Catilium Severum « et Turbonem graviter insecutus est. Servianum, « sororis virum, nonagesimum jam annum agen- « tem, ne sibi superviveret, mori coegit (2). » Idem pariterque Dio et Aur. Victor nos docent Hadrianum superstitioni atque magicis artibus omnino deditum fuisse ; neque alia fuit, ut videtur, Antinoi mortis voluntariæ causa, de qua sic scripsit Aur. Victor in Cæsaribus : « Hinc orti rumores mali... Antinoi fla- « gravisse famoso ministerio, neque alia de causa « urbem conditam ejus nomine, aut locasse ephebo « statuas ; quæ quidem alii pia volunt religiosaque : « quippe, Hadriano cupiente fatum producere, cum « voluntarium ad vicem magi poposcissent, cunctis

(1) Dio, c. 4.
(2) Spart., c. 15.

« retractantibus, Antinoum objecisse se referunt;
« hincque in eum officia supra dicta (1). »

Si quis autem circa ea sola, quæ hactenus exposuimus, immoratus erit, Hadrianum sane sibi finget tanquam hominem gloriæ suæ venditatorem, superstitionibus addictum, crudelissimum, alterum denique Domitianum; at Spartianus pariter ac Dio de nostro imperatore ita inter se pugnantia loquuntur ut nonnulli putaverint, nec forsan immerito, ea non posse tribui tantum variæ et mobili illius viri principis naturæ, illos autem scriptores aut Hadriani vitia in pejus auxisse, aut, sine ullo delectu, e variis historicis, auctoritate quidem disparibus, diversa collegisse. Sic enim ait Spartianus, c. 16 : « Quum ipse « auctor esset ut multi ab eo tristes recederent, dice« bat se graviter ferre si quem tristem videret. » Ac cap. 17 : « Quos in privata vita inimicos habuit, « imperator tantum neglexit : ita ut uni quem capi« talem habuerat, factus imperator, diceret : *Eva« sisti.* » Ac cap. 20 : « In colloquiis etiam humil« limorum civilissimus fuit, detestans eos qui sibi « hanc voluptatem humanitatis, quasi servantes « fastigium principis, inviderent. »

Haud absimilia quidem apud Dionem leguntur. Sic ait, cap. 23 : « Hadrianus in odium venit propter ne« farias et indignas cædes, quas initio et sub finem « principatus fecit; alioqui *ad cædes proclivis non erat.* « Magno argumento quod, quum eum aliquando « nonnulli offendissent, satis esse dixerit si de iis « in patriam ipsorum scriberetur illos sibi nequa« quam placere. Tum, quoties rei facti erant ii qui

(1) C. 14.

« liberos habebant, pœnam eorum minuebat pro nu-
« mero liberorum. » — « Quum ei mulier, narrat
« idem, c. 6, forte occurrisset in via, ab eoque ut
« se audiret contenderet, quanquam primo sibi esse
« otium negavit, tamen, ubi mulier ita exclamare
« cœpit : « Noli igitur regnare », conversus, libenter
« eam audivit (1). »

Quæ quidem si quis attente perpenderit, ac præterea cogitaverit imperatorem Hadrianum, ut in hac dissertatione ostendere aggressi sumus, in republica regenda usque prudentissimum (2) et æqui observantissimum sese præbuisse, fateri non dubitabit, nostra sententia, non nimium huic viro principi indulsisse Dionem, quum diceret istum « sua vitia leviora « fecisse et quodammodo compensavisse sedulitate, « providentia, magnificentia, solertia (3) ». Inde nobis videtur sic colligi posse de Hadriani indole : huic imperatori fuisse naturam ita bonis malisque

(1) Transl. a Leunclavio.

(2) « On trouve beaucoup de princes qui agrandissent les em- « pires par la conquête ; on en trouve peu qui fassent des in- « stitutions capables de les conserver. Dans toute l'histoire, de- « puis Auguste, je vois un grand nombre d'illustres capitaines ; « je ne trouve que quelques législateurs à de longs intervalles : « Adrien, Dioclétien, Constantin. » Naudet, *Des changements opérés dans l'administration de l'empire romain sous Dioclétien*, etc., t. II, p. 302. — « Adrien, le plus grand administrateur « que l'empire romain ait produit, porta la lumière dans l'œu- « vre confuse d'Auguste : il la débrouilla, la développa et en fit « sortir des institutions régulières et permanentes. » Amédée Thierry, *De l'administration centrale dans l'empire romain*, supra cit.

(3) C. 5.

permixtam, ut jure dixeris eum multis in rebus maxime laudandum, non autem diligendum (1).

(1) « Divum avum tuum laudavi in senatu sæpenumero studio impenso et propenso quoque : et sunt orationes istæ frequentes in omnium manibus. Hadrianum autem ego, quod bona venia pietati tuæ dictum sit, ut Martem Gradivum, ut ditem patrem, propitium et placatum magis volui quam amavi. Quare ? Quia ad amandum fiducia aliqua opus est et familiaritate ; quia fiducia mihi defuit, quem tantopere venerabar, non sum ausus diligere. » *Epist. M. Aurel et Front.*, t. I, ep. IV, ed. Arm. Cassan.

PROPOSITA.

I. Tribonianus non commentus est *legem Regiam* adulationis causa; idem valet ea *lex imperii*, de qua sic ait Gaius : « Non unquam dubitatum est quin « constitutio principis legis vicem obtineat, cum « *ipse imperator per legem imperium accipiat.* » Et Ulpianus : « Quod principi placuit legis habet vigorem, « utpote cum *lege Regia*, quæ de imperio ejus lata est, « populus ei et in eum omne suum imperium et po- « testatem conferat. » Hic autem agitur de senatus-consulto quo, initio cujusque principatus, ad imperatorem omnes una illæ potestates deferebantur, tribunitia scilicet, proconsularis, etc., quas singulas acceperat Augustus. Ea autem illarum potestatum vis erat ut Antoninorum ætatis jurisconsulti romani de principe merito dicere possent eum in republica populi partes agere.

II. Jam inde ab Hadriani ætate, senatus, quamvis illius ordinis reverentissimum sese præbuerit noster imperator, omnia fere jura sublata sunt, quæ sunt ad principis consilium ejusque magistratus translata.

III. Hadrianus, nostra sententia, haud inferiorem locum occupat inter imperatores qui continuaverunt immensum illud imperii romani opus, quod ab Augusto inchoatum Diocletianus et Constantinus prope consummaverunt.

IV. In republica regenda illud in primis Hadriano propositum fuit ut pacati imperii unitatem conderet.

V. *Edictum perpetuum*, quod mirum in modum ad illam unitatem condendam contulit, non tantum ad *urbem*, verum etiam ad *provincias* pertinere debuit. Præterea, post edictum, magistratibus jus edicendi permansit, ea autem lege ut nihil corrigeretur, nihil adderetur, nisi ex constitutione principis.

VI. Iniquum est quidem Hadrianum in republica regenda adeo prudentem adeoque juris observantem inter malos imperatores annumerare; contra autem vere historico, cujus officium est virtutem laudibus prosequi, vitium ignominia afficere, fatendum est eum imperatorem multis in rebus laudari posse, non autem diligi. Itaque, si velimus Hadrianum cum aliquo principe conferre, eligamus apud veteres Julianum, apud recentiores nostrum Ludovicum undecimum.

Typis mandetur.
Academiæ Parisiensis Rector.
Pro Rectore,
Academiæ Parisiensis Inspector,

BOUILLET.

Vidi ac perlegi.
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
Prid. non. april., anno MDCCCLVII.
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

J. VICT. LE CLERC.

INDEX.

ERRATA

Pages.	Lignes.	
12	1	*pro* XIX, *lege* LXIX.
16	26	*pro* Tauchinitii, *lege* Tauchnitii.
33	3	*pro* consiliariorum, *lege* consiliorum.
40	30	*pro* Γνατον, *lege* Γναιον.
74	12	*pro* ἐπιτολῆς, *lege* ἐπιστολῆς.
75	12	*pro* Erlano, *lege* Æculanum (Eclano).
81	15	*pro* Angeli-Custodise, *lege* Angeli-Custodis.
81	20 et p. 82, l. 20 et 21,	*pro* Rhœtiam, *lege* Rhætiam.
87	6	*pro* Syrtium, *lege* duarum Syrtium.
	9	*pro* Syrtes, *lege* duas Syrtes.
87	15	*pro* altaribus Philœnorum, *lege* Philænorum aris.
88	18	*pro* Αντωνίου, *lege* Αντωνίνου.
98	19	*pro* imperiis, *lege* imperii.
101	3	*pro* Serapidiscellas, *lege* Serapidis cellas.
113	12	*pro* Lares, quæ, *lege* Lares, quæ urbs.
114	3	*pro* Hiuc, *lege* Huic.

7150 — Paris, Imprimerie Guiraudet et Jouaust,
rue Saint-Honoré, 338.

Caillet, Jules
De ratione in imperio romano ordinando ab Hadriano imperatore adhibita.
Apud A. Durand (1857)